

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **In. Epistolas M. Tvllii Ciceronis Qvae Familiares Vocantvr Paulli Manutii Commentarius**

**Manuzio, Paolo**

**Venetiis, 1579**

Argumentum ep. I. lib. IX.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764133)



IN . EPISTOLARVM  
M . TVLLII . CICERONIS  
QVAE  
FAMILIARES  
VOCANTVR  
LIBRVM . NONVM  
AD . VARRONEM . ET . ALIOS  
PAVLLI . MANVTII  
COMMENTARIVS



NON est instituti nostri, qui uir, quantusq. M. Terentius Varro fuerit, quamq. multis ueterum testimonijs eius eruditio praedicetur, ostendere. Quinctilianus tantum uerba recitabo, quae sunt lib. x. Terentius Varro, uir Romanorum eruditissimus, plurimos libros, & doctissimos composuit, peritissimus Latinae linguae, & omnis antiquitatis, & rerum Graecarum, nostrarumq. plus tamen scientiae collaturus, quam eloquentiae. Vixit annos centum: quod Valerius lib. i. x. cap. 7. docet. Ante quam duodecimam annorum hebdomadam expleuisset, composuit a se libros septingentos, ipse scripsit in primo libro de imaginibus numeri septenarij. Gellius lib. i. i. cap. 10.

Argumentum ep. I. lib. IX.



VARRONIS aduentum expetit; quod in eius potissimum consuetudine, & sermone spem doloris leniendi, quem capiebat e rerum publicarum interitu, aliquam reposesuerit. Scripta Caesare tertium, & Lepido cos.

M. Cicero S. D. M. Terentio Varroni. 1.



**X** IIS litteris, quas Atticus a te missas mihi legit, quid ageres, & ubi esses, cognoui: quando autem te uisuri essemus, nihil sane ex eisdem litteris potui suspicari. in spem tamen uenio; appropinquare tuum aduentum: qui mihi utinam solatio sit. etsi tot, tantisque rebus urgemur, ut nullam alienationem quisquam non stultissimus sperare debeat. sed tamen aut tu potes me, aut ego te fortasse aliquare iuuare. scito enim me, postea quam in urbem uenerim, rediisse cum ueteribus amicis, id est cum libris nostris, in gratiam. etsi non iccirco eorum usum dimise-

ram, quod ijs succenserem, sed quod eorum me suppudebat. uidebar enim mihi, cum me in res turbulentissimas, infidelissimis socijs, demissem, praeceptis illorum non satis paruissse: ignoscunt mihi: reuocant in consuetudinem pristinam; teque, quod in eo permanseris, sapientiore, quam me, dicunt fuisse. quamobrem, quando placatis his utor, uideor sperare debere, si te uiderim, & ea, quae premant, & ea, quae impendeant, me facile transiturem. quamobrem, siue in Tusculano, siue in Cumano ad te placebit, siue, quod minime uelim, Romae; dummodo simul simus, perficiam profecto, ut id utriusque nostrum commodissimum esse uideatur. Vale.

## EXPLANATIO



**T**E MISSAS; sic antiqui libri septem. nec mutationis causam uideo. **T**VVM aduentum; abfuit igitur ab urbe Varro diutius, quam Cicero, post deuictum in Pharfalia Pompeium. **N**ON stultissimus; stultissimum esse oportet, qui tam graui reip. tempore, alienationem ullam sperare possit. **I**N. VRBEM; cum Caesar, confecto Alexandrino bello, reuersus Ciceroni, qui Pompeium secutus erat, peperisset, eiq. permisisset, ut in urbem ueniret. **I**N. RES turbulentissimas; in bellum ciuile. **I**NFIDELISSIMIS socijs; Pompeianis, de quorum in reip. atque in me uoluntate nihil mihi certum possem polliceri. **P**RAECEPTIS illorum; praecipiente enim libri, non temere credendum. unde illud Epicharmi, ep. 17. ad Att. lib. 2.

*Νῦν, καὶ μέντοι ἀπιστῶν. ἃ θραύονται καὶ φερόν.* Et ep. 20. ad Att. lib. 2. Pragmatici homines omnibus historicis praeeptis, uerbis denique cauere iubent, & uetant credere. **I**N. EO; sic ueteres libri omnes. fortasse refertur ad, Vsum. dixit enim: Eorum usum dimiseram. quod tamen distat longius. Vel, In eo: quod praeeptis illorum paruiss: in quo ego non permansi. quamquam hoc falsum uidetur. nam & Varro Pompeium secutus est, fuitq. una cum Cicerone, & M. Catone Dyrhachij, cum in Pharfalicis campis dimicarunt Caesar, & Pompeius. lib. 1. de Diuin. itaque malim accipere, In eo, id est in eorum usu, quem ego dimisi. ut intelligatur illud tempus, quod Pharfalicam pugnam consecutum est. tunc enim Brundisij Cicero in maerore iacuit, nullo librorum usu, uictorem Caesarem timens, cuius ex Alexandrino bello aduentus expectabatur. Varro autem, uicto in Pharfalia Pompeio, uidetur in Italiam rediisse, ut ex epistola sexta colligitur, nec se maerori, ut Cicero, sed litteris dedisse: quod ex hac epistola licet conijcere. **Q**VAE premant; supra: Tot tantisque rebus urgemur. Translata sunt, Premant, Impendeant, Transiturem. **I**MPEDEANT; post Africanum bellum; quod Caesar tunc gerebat. **T**RANSITURVM; transcentes uitamus ea, quae impendent. transire etiam dicuntur ea, quae impendent, ut ep. 21. ad Att. lib. 2. **A**D. TE; subaudi, uenire. & Ad te, pro ad uillam tuam, siue in Tusculano, siue in Cumano. ep. 2. 4. 6. **P**ERFICIAM; mutuo sermone, & studijs communicandis. **V**IDEATUR. sic placet, & ita legitur in duobus antiquis libris. alij habent, Videbitur: uel, Diuidetur quod utrumque perspicue mendosum. alij, Iudicetur: quod minus probauimus. Nonnullis placuit, Dicitur: quos sequi noluimus.

## Argumentum ep. 2.

**D** iutius retentae epistolae causam exponit: suadet, quod sibi quoque statutum affirmat, ut hominum frequentiam uitet, dum gratulatio, quae propter Africanae uictoriae nuntium fiebat, deseruescat: causam affert cur in urbe maneat: suumq. iuuandae quoquo modo reip. desiderium declarat. Scripta eodem anno.

Cicero

**CANINIUS**, idem tuus, & idem noster, cum ad me peruesperi uenisset, & se posttridie mane ad te iturum esse dixisset; dixi ei me daturum aliquid mane, & ut peteret, rogavi. conscripsi epistolam noctu: nec ille ad me reddidit. attamen eam ipsam epistolam misissem per meos, nisi audissem ex eodem, posttridie te mane et Tusculano exiturum. at tibi repente paucis post diebus, cum minime exspectarem, uenit ad me Caninius mane; proficisci ad te statim, dixit. etsi erat *ἔωλος* illa epistola, praesertim tantis postea nouis rebus allatis: tamen perire meam lucubrationem nolui, & eam ipsam Caninio dedi: sed cum eo, & homine docto, & amantissimo tui, locutus ea sum, quae pertulisse illum ad te existimo. Tibi autem idem consilij do, quod mihimet ipsi; ut uite minus oculos hominum, si linguas minus facile possumus. qui enim uictoria se efferunt, quasi uictos nos intuentur: qui autem uictos esse nostros moleste ferunt, nos dolent uiuere. Quaeseres fortasse, cur, cum haec in urbe sint, non absim, quemadmodum tu. tu enim ipse, qui & me, & alios prudentia uincis, omnia, credo, uidisti: nihil omnino te sefellit. Quis est tam lyncus, qui in tantis tenebris nihil offendat? nusquam incurrat? Ac mihi quidem iam pridem uenit in mentem, bellum esse, aliquo exire, ut ea, quae agebantur hic, quaeque dicebantur, nec uiderem, nec audirem. sed calumniabar ipse: putabam, qui obuiam mihi uenisset, ut cuique commodum esset, suspicaturum, aut dicturum etiam, si non suspicaretur: Hic

aut metuit, & eare fugit; aut aliquid cogitat, & habet nauem paratam, denique, leuissime qui suspicaretur, & qui fortasse me nouisset optime, putaret me iccirco discere, quod quosdam homines oculi mei ferre non possent. Haec ego suspicans, adhuc Romae maneo: & tamen *ἄλλοθῶς* consuetudo diuturna callum iam obduxit stomacho meo. Habes rationem mei consilij. tibi igitur haec. Censeo latendum tantisper ibidem, dum deferuescat haec gratulatio, & simul dum audiamus, quemadmodum negotium confectum sit: confectum enim esse existimo. magni autem intererit, qui fuerit uictoris animus, qui exitus rerum. quamquam, quo me coniectura ducat, habeo: sed exspecto tamen. te uero nolo, nisi ipse uerum iam rancus erit factus, ad Baias uenire. erit enim nobis honestius etiam, cum hinc discesserimus, uideri uenisse in illa loca ploratum potius, quam natatum. Sed haec tu melius: modo stet nobis illud, una uiuere in studijs nostris, a quibus antea delectationem modo petebamus, nunc uero etiam salutem: non deesse, si quis adhibere uolet non modo ut architectos, uerum etiam ut fabros ad aedificandam remp. potius libenter accurrere: sin nemo uetetur opera, tamen & scribere, & legere *πολιτικάς*; & si minus in curia, atque in foro, at in litteris, & libris, ut doctissimi ueteres fecerunt, nauare remp. & de moribus, ac legibus quaerere. Mihi haec uidentur. tu quid sis acturus, & quid tibi placeat, pergratum erit, si ad me scripseris.

## EXPLANATIO

**CANINIUS**, idem tuus, & idem noster, } sic aliquot libri ueteres. quod placuit. nam eodem modo locutum esse Ciceronem lib. 2. de Diuin. animaduerti. Marcellus, inquit idem imperator, idem augur. Sic Varro Sefquiulysse: Idem senatus, idem populi caput. Alius liber, Caninius tuus, & idem noster: non male. nam & infra, ep. 17. Ego uir fortis, idemq. philosophus. Ceteri libri, Caninius idem & idem noster. quod probare nullo modo possum: quamquam alij probarint; qua ratione ducti, non equidem uideo. miror etiam, eisdem negare, Tuus, in ueteribus libris esse. **ALIQUID** } litterarum. **AT. TIBI** } Tibi, ornatus gratia & hic, & alibi addidit Cicero. ep. 6. ad M. Brutum, ep. 14. lib. x. ad Att. & Coelius ep. 2. lib. iix. **ἔωλος** } obsoleta, non recens. **TANTIS nouis rebus** } uictoriam Caesaris Africanam significat. **PERIRE meam lucubrationem nolui**, } perire laborem illum nolui, quem in elucubrando susceperam. Ne quis, Lucubrationem meam, pro epistola meam, accipiat. non enim Lucubratio est id, quod remanet post nocturnam operam, siue epistola, siue oratio, siue aliud; sed actus ille, ut ita dicam, operaque illa, quae ponitur in elucubrando: quantum quidem nobis exemplorum obseruatione colligere licuerit. Nam, quod subiungitur, Et eam ipsam Caninio dedi: ad epistolam refertur. **LOCUTVS ea sum**, } fortasse litteris non committenda. **VITEMVS oculos hominum**, } qui uitari in urbe non possunt. **NOS dolent uiuere.** } uide ep. 5. **TAM lyncus.** } Lynceum ea uidisse, quae longissime distabant, memoriae proditum est. unde adagium, Lynceo perspicacior. **QVI in tantis tenebris nihil offendat?** } ad metaphoram haec omnia pertinent, lyncus, tenebris, offendat, incurrat. Inde Lilius lib. xxxv. Si in re nauali, cuius esset ignarus, offendisset. &c. **CALUMNIABAR** } suspicabar ea, quae fortasse falsa sunt. **QUOSDAM homines** } uictores Caesarianos. **OCULI mei ferre non possent.** } ep. 16. lib. 2. Nosti oculorum meorum in hominum insolentium indignitate fastidium. **ἄλλοθῶς** } sententiam. **CALLVM iam obduxit stomacho meo.** } ut ea minus aliquanto sentiat, quibus agebatur antea. Tusc. 1. Ipse labor quasi callum quendam obducit dolori. Ep. 5. lib. iv. In illis rebus exercitatus animus callere iam debet. Et ep. 18. ad Att. lib. 2. De Statio manumisso, & nonnullis alijs rebus, angor equidem, sed iam profusus occallui. **DEFERUESCAT** } quaedam res, cum in summo sunt, feruere dicuntur: unde in oratione pro Quinctio, Fernet avaritia. eadem deferuere, cum imminui coeptae sunt: ut, Ira deferuescit, Tusc. 4. Cupiditates deferuescunt, pro Coelio. **GRATVLATIO**, } ob res a Caesare in Africa contra Scipionem, Pompeij Magni focerum, & Iubam, Mauritaniae regem, prospere gestas. **MAGNI intererit** } nostra. diuersum enim consilium, pro uictoris in uictos uel clementia, uel crudelitate, capiemus. Quo

me coniectura ducat, } quid conijciat Cicero de Caesaris animo, non facile est existimare. clementem tamen cum potius, quam crudelem, fore, ut arbitror, opinatur: itaque subiungit, Sed exspecto tamen. RUMOR } de uictoria Caesaris. RAUCVS erit factus, } raucorum uox minus clara est. inde sumptum, ut raucum rumorem dicat esse, cum homines ea de re, quae in ore omnium fuerat, minus iam loquantur. AD BAIAS uenire. } ad aquas Baianas: quo ibant oblectationis, & uoletudinis causa. In oratione pro Coelio. VIDERI } nam nunc, si eamus ad Baias, recenti adhuc nuncio de Africana Caesaris uictoria, uidebimur iuisse natatum laetitiae causa. quod turpe nobis erit. sin exspectamus, donec rumor sit imminutus: non natandi, sed plorandi causa Baias uenisse uidebimur. quod erit honestius. STET nobis illud, } ita statuamus uiuere in studijs nostris, ut sententiam ne mutemus. ANTEA } stante rep. NUNC uero } afflicta rep. cum nulla in re alia acquiescamus. Vide eandem sententiam ep. 3. lib. IV. & 13. lib. V. & 12. lib. VI. UT architectos, } tamquam principes ciues, quales olim fuimus. UT fabros } non ut consilio, & sententia, sed opera tantum opem reip. feramus. AEDIFICANDAM } quae nunc euerfa iacet. Verbo translato usus est, quia dixerat iam, Architectos, & Fabros. POTIUS libenter accurrere: } non modo non deesse, uerum etiam libenter accurrere. Omnes mei libri ueteres habent, Et potius. unus, Et, non habet: quod elegantius uidetur. Πολιτείας, } libros de regenda rep. IN curia, } dicenda in senatu sententia. IN foro, } agendis causis, ut olim solebam. NAVARE remp. } sic duo ueteres libri, mendose; mihi non displiceret, Iuuare remp. quod omnino sententia postulat. certe enim, quae de optimi ciuis officio scribuntur, utilia sunt reip. quod nisi ita esset; quorsum & scribere, & legere πολιτείας Cicero cogitaret? In reliquis antiquis libris, Grauare, est, non Nauare, mendo manifesto. Quidam opinantur, legi posse, Gubernare: alij, uerbo addito, Nauare operam reip.

## Argumentum ep. 3.

*Iturum se ad Varronem significat: quamquam fore uideat, ut ab hominibus uterque reprehendatur: quasi turpe sit, miserrima ciuitate, uillarum amoenitatem quaerere. se tamen contemnere ait sermones hominum indoctorum, & in studijs omnino cum Varrone uicturum.*

Cicero S. D. Varroni.

3.

ET SI, quid scriberem, non habebam: tamen Caninio ad te eunti non potui nihil dare. quid ergo potissimum scribam? quod uelle te puto, cito me ad te esse uenturum. etsi uide, quae so, satis nerectum sit, nos, hoc tanto incendio ciuitatis, in istis locis esse. dabimus sermonem istis, qui nesciunt nobis, quocumque in loco simus, eundem cultum, eundem uictum esse. quid referet tamen in sermonem incidemus. ualde id, credo, laborandum est, ne, cum omnes in omni genere & scelerum, & flagitiorum uolentur, nostra nobiscum, aut inter nos cessatio uituperetur. ego uero, neglecta barbarorum inscitia, te persequare. quamuis enim haec sint misera, quae sunt miserrima: tamen artes nostrae nescio quo modo nunc uberiores fructus ferre uidentur, quam olim ferebant: siue quia nulla nunc in re alia acquiescimus: siue quod grauitas morbi facit, ut medicinae egeamus, eaq. nunc appareat, cuius uim non sentiebamus, cum ualebamus. Sed quid ego haec ad te, cuius domi nascuntur, γλαυκῆ ἐς Ἀθήνας? nihil scilicet, nisi ut, rescribens aliquid, me exspectares. sic igitur facies. Vale.

## EXPLANATIO

CANINIO } ordo postulat, ut haec sit huius libri secunda epistola: est enim illa, quam Caninio selaturum, si petisset, dixit in proxima superiore, sunt apud me duo ueteres libri, in quibus plane scriptum est, Caninio. itaque coniectura nihil opus est in re praesenti, atque ante oculos posita. quod ideo dixi, ne quis excogitatum putet, ideoq. minus certam, correctionem; quia mendose in quibusdam libris, & in Mediceo quoque illo, quem ceteris emendatiorem esse quidam arbitrantur, legitur, Animo: ex quo eundem legendum putarunt, Caninio. INCENDIO } calamitatem publicam uocat Incendium. nondum autem, cum haec scribebat, Africanae Caesaris uictoriae nuncius allatus erat. quod significatur in eo loco ep. 2. Et si erat eadem illa epistola, praesertim tantis postea nouis rebus allatis. RECTVM } non considerat hic Rectum tamquam honestum, sed tamquam id, quod fieri oporteat. quasi dicat: uide, quae so, debeamus ne in istis locis esse, hoc tam misero statu reip. quod homines reprehendent. IN ISTIS LOCIS } in amoenissimis uillis. EUNDEM CULTUM, eundem uictum esse. } mutatione loci neque cultum, neque uictum mutamus: quid igitur habent, cur de nobis loquantur? Cultus omnia significat, excepto uictu, quibus utuntur homines uel commodi, uel ornamenti, uel uoluptatis etiam gratia. De Diuin.

uin. lib. I. Cultus, atque uictus salubris, & moderatus. De Off. lib. I. Studeat parare ea, quae suppeditent & ad cultum, & ad uictum. Caesar lib. VI. Germani eodem uictu, & cultu corporis utuntur. Quid refert? tamen in sermonem incidemus. } modus loquendi: ut Phil. VII. Quam turpe est, legiones ad senatum legatos mittere, senatum ad Antonium? quamquam illa legatio non est, denunciatio est, paratum illi exitum nisi paruerit huic ordini, quid refert? tamen opinio est grauior. Credo, } ironia. Sprenendus, inquit, est hominum sermo, praesertim eorum, qui honestum otium uituperent, cum eorum actiones flagitiosissimae sint. Ep. 5. lib. IV. An illius uicem, credo, doles? Et scelerum & flagitiorum } geminata copia diuersitatem indicat. omne enim scelus flagitium est, non contra: & minor in aliquo flagitio culpa, quam in scelere. Volventur, } hoc uerbum actionem continet: & positum est de industria, ut inferiori uerbo, Cessatio, opponeretur. Nobiscum, aut inter nos } bona correctio. nam poterat aliquis obijcere, cessare eos etiam cum alijs: si quidem in urbe non uiuerent. Cessamus, inquit, inter nos, non inter alios; quia remoti a multitudine uiuimus. Barbarorum } indoctorum. De Orat. lib. I. Haec turba, & barbaria forensis dat locum uitiosissimis oratoribus. Artes nostrae } litterarum tractatio. Gravitas morbi } seruitus reip. in qua, tamquam in morbo, ad litterarum remedia confugimus. Cum ualebamus. } incolumi reip. statu. Γλαύκ' εἰς Ἀθήνας? } uide ep. 3. lib. VI. Me. expectares. } postea suam commorationem excusauit in ep. superiore; quam post hanc scriptam esse, iam dixi.

### Argumentum ep. 4.

**D**E Varronis aduentu, ex Diodori dialectici sententia, iocatur. nam in libro de Fato, Diodori opinionem improbens, Chrysippo assentitur. Eodem anno.

Cicero S. D. Varroni. 4.

Ἐὰν εἰς ἡμετέρας με σκίτο κατὰ Διόδωρον κείναι. otiosi cum erimus, loquemur. hoc etiam est κατὰ Κρύπτιον διωκτὸν. De Costio mihi gratum est: nam id etiam si non es, ἄδωκτόν ἐστιν εἰς ἡμᾶς. Attico mandaram. Tu si minus ad nos, nos accurremus ad te. si hortum in bibliotheca habes, nihil deerit. Vale.

quapropter, si uenturus es, scito, necesse esse te uenire: si autem non es, ἄδωκτόν ἐστιν εἰς ἡμᾶς est te uenire. nunc uide, utra te uenire magis delectet, Chrysippias haec, quam noster Diodotus non concoquebat. sed de his etiam rebus,

### EXPLANATIO

Ἐὰν εἰς ἡμετέρας } de rebus, quae fieri possunt: de possibilibus. hoc enim uerbo, quod uitasse Cicero uidetur, Plautus in Stichio usus est. & Quintilianus, quod graece διωκτὸν, Latine dici Possibile, quamquam appellatione duriore, auctor est lib. III. c. 8. Κατὰ Διόδωρον κείναι. } ex Diodori sententia iudicare. Quid sentiret Diodorus, ostendit Cicero in libro de Fato, his uerbis: Maxime tibi Chrysippe cum Diodoro certamen est. ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit uerum, aut futurum sit: & quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse: & quidquid non sit futurum, id negat fieri posse. tu, & quae non sint futura, posse fieri dicis: ut, frangi hanc gemmam, etiam si id numquam futurum sit: neque necesse fuisse, Cypselum regnare Corinthi; quamquam id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset. VENTURVS } in urbem. ἄδωκτόν } ex ijs rebus, quae fieri non possunt. UTRA TE κείναις magis delectet, } utrum malis, κατὰ Διόδωρον, an κατὰ Κρύπτιον iudicare. Chrysippi sententiam ideo non exponit Cicero, quia notam Varroni sciebat, homini eruditissimo. CHRYSIPPIAS. HAEC, } mendosum locum esse constat. quidam ueteres libri, An Chrysippias haec. uetustior res autem omnes, An, non habent. ex quo nobis orta coniectura est, mendum tolli posse unius litterae mutatione: ut legatur hoc modo, Chrysippi, an haec. NOSTER Diodotus } Stoicus. Acad. lib. 2. Diodoto quid faciam Stoico? quem a puero audiui: qui mecum uiuit tot annos: qui habitat apud me: quem & admiror, & diligo. De nat. de. lib. I. Cum minime uidebamur, tum maxime philosophabamur. quod & orationes declarant, refertae philosophorum sententijs; & doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit; & principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instructi sumus. Vide in Bruto. NON concoquebat. } non probabat: cum Cicero ipse probaret: dixit enim, Ἐὰν εἰς ἡμετέρας με σκίτο κατὰ Διόδωρον κείναι. A cibis translatio: quorum alij reiiciuntur a stomacho non concoquente, alij, concoctione facta, in succum, & sanguinem conuertuntur. Lib. III. ad Q. fr. A Varronio ita me obseruari scio, ut eius ista odia non sorbeam solum, sed etiam concoquam. DE his etiam rebus, } de utraque κείναι. Hoc etiam est κατὰ Κρύπτιον διωκτὸν. } ita fieri hoc potest, ut necesse non sit, quod est Chrysippi sententia. HORTVM in bibliotheca } illatum, non ibi natum.

## Argumentum ep. 5.

Probat et diem, quo conueniri sint; et suum, Varronisq. consilium, quod, semel a Caesare uicti, ab armis discesserint. Eodem anno.

Cicero S. D. Varroni. 5.

M I H I uero, ad nonas, bene maturum uidetur fore, neque solum propter tempus, sed etiam propter anni tempus. quare diem istum proba: itaque eundem ipse sequar. Consilij nostri, ne si eos quidem, qui id fecuti non sunt, non paeniteret, nobis paenitendum putarem. secuti enim sumus non spem, sed officium; reliquimus autem non officium, sed desperationem. ita uerecundiores fuimus, quam qui se domo non commoue-

runt; saniores, quam qui, amissis opibus, domum non reuixerunt. sed nihil minus fero, quam seueritatem otiosorum: & quoquo modo res se habet, magis illos uereor, qui in bello occiderunt, quam hos curo, quibus non satisfacimus, quia uiuimus. Mibi si spatium fuerit in Tusculanum ante nonas ueniendi, istic te uidebo: sin minus, persequar in Cumanum; & ante te certiozem faciam, ut lauatio parata sit. Vale.

## EXPLANATIO

M I H I . V E R O , } sic incipit ep. 6. lib. iv. 30. lib. vii. 12. 22. lib. xvi. A D . N O N A S , } ut nonis una sumus in Cumanis. P R O P T E R . R E M P . } expectandum enim, & ibidem latendum uidebatur, dum deferuere gratulatio. alioqui praesentem reip. statum odisse uiderentur. ep. 2. P R O P T E R a n n i t e m p u s . } fortasse uitandi caloris causa non propinquam diem probabat. C O N S I L I I n o s t r i , n e s i e o s q u i d e m , q u i i d f e c u t i n o n s u n t , n o n p a e n i t e r e t , n o b i s p a e n i t e n d u m p u t a r e m . } erant qui Cicronem, Varronemq. reprehenderent, quod statim, post deuictum in Pharsalia Pompeium, ab armis discessissent. huius nostri consilij, inquit Cicero, ne tum quidem nobis paenitendum putarem, si eos, qui id fecuti non sunt, non paeniteret. cum uero eos paeniteat, quod in bello remanserint: multo minus nobis, qui saniores fuimus, paenitendum puro. Libri omnes ueteres habent, Nisi, sed mendose, ut satis liquet. itaque recte Hieronymus Ferrarius restituit, Ne si. a quibus particulis, cum praeposuntur, ad uerbum infra positum uis negandi transfertur. quod si uerbum praeposatur, altera negatio cum eo coniungitur. id exemplo fiet illustrius. hoc quidem in loco, Ne si, uerbo praeposuntur, & in eo tamen uerbo inest uis negandi. nam illud, Nobis paenitendum putarem, ualet, non putarem, quia respicit superiores particulas, Ne si. quae si postponantur, addenda erit eidem uerbo altera negatio, ut ita dicatur: Nobis paenitendum non putarem, ne si eos quidem, &c. Prioris generis exemplum habemus illud ep. 10. lib. xiii. ad Att. Purgat Caesarem de interitu Marcelli: in quem, ne si insidijs quidem ille interfectus esset, caderet ulla suspicio. pro, non caderet. Et in Oratore: Nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere uocales conceditur. pro, non conceditur. Alterum genus agnoscitur ep. 22. lib. xii. ad Att. Enitar, ut, praeter me, nemo dolorem meum sentiat, ne tu quidem. Et ibidem, ep. 35. Non habeo, ne me quidem ipsum, qui cum tam audacter communiticem, quam te. N O N s p e m , } uincendi. uictoriam enim desperabam. ep. 7. lib. iv. & iii. lib. vii. O F F I C I U M ; } ep. 1. lib. vi. Quoddam nobis officium iustum, & pium, & debitum reip. uidebatur. Et ep. 6. eiusdem libri: Vel officio, uel fama bonorum, uel pudore uictus, ut in fabulis Amphiarus, sic ego prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus. D E S P E R A T I O N E M . } ep. 3. lib. vii. Non putauit, cum integri pares non fuisset, fractos superiores fore. Et ep. 7. lib. iv. A M I S S I S o p i b u s , } uicti Pharsalico proelio; quo uires amiserunt. S E U E R I T A T E M o t i o s o r u m : } eos, qui cum se domo non commouerint, nos tamen, quia domum, relictis armis, rediimus, seuerè admodum reprehendunt: absurde: nam neque reprehendendi omnino sumus; & si essemus, non ab istis otiosis, uerum ab ijs potius, qui persequi belli ciuiliis extrema uoluerunt. Q U O Q U O m o d o r e s s e h a b e t , } paenituisse eos, iam significauit, qui ab armis non discesserint. nunc igitur, cum eos quasi laudare uelit, dicitur, Vereor, correctione quadam prius utitur, & ait, Quoquo modo res se habet: id est, quamquam parum sapienter fecerint, qui, semel uicti, rursus tamen pugnare noluerint. V E R E O R , } uereri dicimur parentes, & seniores, & qui sunt in honore aliquo, aut dignitate constituti. uerebatur igitur non nihil Cicero Pompeianos quosdam uel mortuos, quasi ei possent exprobrare, quod domum reuertisset: illos autem, qui domi remanserant, nequaquam curabat. I N . B E L L O } Africano: nam in Pharsalico ipse etiam affuit, licet in acie non fuerit. non enim erat, cur ueretur eos, quibuscum in bello fuerat, sed eos, quos deferuisse uideri poterat, qui postea in Africano bello occiderunt. H O S } quidam otiosi, qui domi manserant, Pompeianis partibus fauentes, dolebant eos uiuere, qui post Pharsalicam pugnam domum redierant. Ep. 2. Qui uictos esse nostros moleste ferunt, nos dolent uiuere. A N T E . N O N A S } quem diem probare se dixit. L A U A T I O } in baineo. Infra: Baineam calfacias oportebit. Veteribus admodum familiaris, & paene quotidiana lauatio fuit.

## Argumentum ep. 6.

**C**æsaris ex Africano bello reuertentis aduentum significat: belli civilis culpam Pompeio potius, quam Cæsari, tribuit: Varronem laudat, quod se ab armis ad studia, quasi a tempestate in portum, contulerit. Eodem anno.

Cicero. S. D. Varroni. 6.

**C**ANINIUS noster me tuis uerbis admonuit, ut scriberem ad te, si quid esset, quod putarem te scire oportere. Est igitur aduentus in expectatione. neque tu id ignoras. sed tamen, cum ille scripsisset, ut opinor, se in Alsiense uenturum, scripserunt ad eum sui, ne id faceret: multos ei molestos fore, ipsamque multis Ostiae, uideri commodius, eum exire posse. id, ego non intelligebam, quid interesset: sed tamen Hirtius mihi dixit, & se ad eum, & Balbum, & Oppium scripsisse, ut ita faceret, homines, ut cognoui, amantes tui. hoc ego iccirco nosse te uolui, ut scires, hospitium tibi ubi parares, uel potius utrobique. quid enim ille facturus, incertum est. & simul ostentauit tibi, me istis esse familiarem, & consilijs eorum interesse. quod ego cur nolim, nihil uideo. **N**ON enim est idem, ferre, si quid ferendum est; & probare, si quid probandum non est. etsi, quid non probem quidem, nescio, praeter initia rerum. nam haec in uoluntate fuerunt. uidi enim, (nam tu aberas) nostros amicos cupere bellum, hunc autem non tam cupere, quam non timere. ergo haec consilij fuerunt, reliqua necessaria. uincere autem aut hos, aut illos, necesse est. Scio te semper mecum in luctu fuisse; cum uideremus, quam illud ingens malum aliter utrius exercitus ex ducum interitu: tum uero, extremum malorum omnium esse civilis belli uictoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos ueneramus. crudeliter enim otiosis minabantur: eratque ijs & tua inuisa uoluntas, & mea oratio. nunc uero si essent nostri potius, ualde intemperantes fuissent: erant enim

nobis perirati: quasi quidquam de nostra salute decessissemus, quod non idem illis censuissemus; aut quasi utilius reip. fuerit, eos etiam ad bestiarum auxilium confugere, quam uel mori, uel cum spe si non optima, at aliqua tamen uiuere. At in perturbata rep. uiuimus, quis negat? sed haec uiderint ijs, qui nulla sibi subsidia ad omnes uitae status parauerunt. huc enim ut uenirem, superior longius, quam uolui, fluxit oratio. cum enim te semper magnum hominem duxi; tum, quod his tempestatibus es prope solus in portu, fructusque doctrinae percipis eos, qui maximi sunt, ut ea consideres, eaque tractes, quorum & usus, & delectatio est omnibus istorum & actis, & uoluptatibus anteponenda. equidem hos tuos Tusculanenses dies instar esse uitae puto: libenterque omnibus omnes opes concesserim, ut mihi liceat, ut nulla interpellante, isto modo uiuere. quod nos quoque imitatur, ut possumus, & in nostris studijs libentissime conquisimus. **Q**UIS enim hoc non dederit nobis, ut cum opera nostra patria siue non possit uti, siue nolit, ad eam uitam reuertamur, quam multi docti homines, fortasse non recte, sed tamen multi, etiam reip. praeposendam putauerunt? quae igitur studia, magnorum hominum sententia, uacationem habent etiam publici muneris, ijs, concedente rep. cur non abutamur? Sed plus facio, quam Cannius mandauit. is enim, si quid ego scirem, rogaret, quod tu nescires: ego tibi ea narro, quae tu melius scis, quam ipse, qui narro. faciam ergo illud, quod rogatus sum, ut eorum, quae temporis huius sunt, quae tua audiero. ne quid ignores. Vale.

## EXPLANATIO

**A**DVENTVS} Cæsaris ex Africa. **ALSIENSE**} Alsiensem agrum, ab Alio, quod in superius maris litore Plinius, & Ptolemaeus constituunt. **SUI**,} Hirtius, Balbus, Oppius. **MULTOS** cum ibi essent multorum uillae ob regionis amoenitatem. **UBI**} non in Alsiensi, sed Ostiae. scripserunt enim ad Cæsarem eius familiares, uideri commodius, eum Ostiae exire posse. **UTROBIQUE**} ex uerbo Scires, apte non pendet. quid enim est, ut scires, utrobique tibi hospitium parares. nam **UTROBIQUE** non significat, utro in loco, sed utroque in loco: at hic uidetur Cicero significare, utro in loco: cum incertum esset, quid Cæsari facturus esset, utrum in Alsiense uenturus, an Ostiae exiturus. permittit enim Varroni, qui Cæsari obuiam ire cogitabat, ut statuat ipse utro in loco sibi hospitium parat. cui sententiae non feruit, **UTROBIQUE**, quod affirmationem habet utriusque loci, sed potius **UTRUBI**, quod dubitationem ostendit utrius loci. hoc autem uerbum ideo fortasse mutatum est, quod eius exempla non facile inuenirentur in Latina lingua. Nos, ueteres Grammaticos, ut interdum solemus otiosi, peruolutantes, Nacium ita locutum in Tarentilla, apud Carisium obseruauimus. **UTRUBI**, inquit, cenaturi estis, hiccine, an in triclinio? Idem M. Catonis haec uerba recitat ex oratione pro Hispanis: De frumento, utrubii bona, utrubii mala gratia capiatur, utrinde iras, utrinde factiones tibi pares. Dixit etiam Plautus in Stichus: **UTRUBI** accumbo? **Sa**. **UTRUBI** tu uis. Et Vlpianus lib. XLIII. Dio tit. 31. l. 1. Praetor ait: **UTRUBI** hic homo, de quo agitur, maiore parte huiusce

huiusce anni fuerit, quo minus is eum ducat, uim fieri ueto. Ac me quidem, iam pridem de mendo suspi-  
cantem, hanc in coniecturam illa quoque ratio deduxit, quod in nullo uetere libro, cum prope innumera-  
biles inspexerim, scriptum est, Vtrubique, sed in omnibus fere, Vtrubique. **ET SIMVL** scripsi ad  
te duabus de causis ea, quae mihi Hirtius dixit, primum ut scires, hospitium tibi ubi parares, deinde ut  
ostentarem tibi, me istis esse familiarem, & consiliorum participem fieri. **NON enim est idem**, } arguta  
sententia. Fero, inquit, quae ferenda sunt: (quis enim cum tempore necessitate pugnet?) non ideo tamen  
probo, quae probanda non sunt. Simile illud ep. 3. lib. 8. Si te ea, quae patere, probasse etiam arbitra-  
rer. **ET SI, quid non probem quidem, nescio, praeter initia rerum.** } Veteres libri: Et si quid non probem?  
quid enim iam scio, praeter initia rerum? Vt hoc dicatur: quid enim iam scio, quod non probem, praeter  
initia rerum? Vetus liber unus: **Et si quid non probem, quid iam nescio praeter initia rerum.** Ex quo li-  
bro, & ex alijs, uidetur haud inepte legi posse: **Et si, quid non probem quidem, iam nescio, praeter initia  
rerum.** Initia uero rerum, quae non probabat in Caesare, illa, ut opinor, fuerant, quod consul Caesar le-  
ges multas contra auspicia tulerat: quod a populo prouinciam inuito senatu acceperat: quod absens consu-  
latum petere uoluerat: & similia. **HAEC** } quae postea consecuta sunt: quae nobis uitare licuit. **ABE-  
RAS** } Pompeij legatus in Hispania, cum Afranio, & Petreio. Caesar lib. 2. de bel. ci. & Dio lib. xli. **NO-  
STROS amicos** } Pompeianos. **CVPERE bellum**, } ep. 1. lib. 14. Incideram in hominum pugnan-  
di cupidorum insanias. & ep. 21. lib. vi. & xi. lib. xvi. **HAEC consilij fuerunt**, } uoluntatis: nos haec  
uolumus. **NECESSARIA**, } necesse enim fuit, ut ex bello calamitates orirentur, & alterutra pars  
uinceret. non igitur haec, quasi facta Caesaris, improbanda, quae bellorum natura peperit. **DVC VM** }  
siue Caesar, siue Pompeius obisset. **EXTREMVM malorum omnium** } ep. 9. lib. 14. Omnia sunt misera  
in bellis ciuilibus: sed miserius nihil quam ipsa uictoria: quae, etiam si ad meliores uenit, tamen eos ipsos  
ferocios, impotentioresq. reddit. **CRUELITER enim otiosius minabantur**: } uide ep. 14. lib. 14. &  
ul. lib. 18. & ad Att. ep. 6. lib. xi. & Caes. lib. 1. de bel. ci. **INUISA** } quia propensior ad pacem: cum  
ipsi bellum cuperent. **MEA oratio**, } uel in ipso bello pacem Cicero suauit. ep. 3. lib. vii. Quae cum ui-  
dissem, desperans uictoriam, primum coepi suadere pacem, cuius fueram semper auctor. **NUNC uero** }  
Africano bello. **AD bestiarum auxilium** } ad Iubae regis elephantos: quos in aciem contra Caesarem  
duxit. ep. 7. ad Att. lib. xi. Ex omnibus nihil magis desideratur, quam quod in Africam non ierim. iudicio  
hoc sum usus, non esse barbaris auxilijs fallacissimae gentis temp. defendendam, praesertim contra exer-  
citem saepe uictorem. **VEL MORI**, } mori praestitit, quam ad bestiarum auxilium confugere. Ne-  
que hoc dicit Cicero, quod ex ijs, qui se post Pharsalicam pugnam Caesari crediderunt, quisquam ab eo sit  
interfectus: sed ut ostendat, etiam si id accidisset, minus tamen detrimenti temp. fuisse passuram, quam Afri-  
cano bello, spe bestiarum suscepto. **VEL cum spe si non optima, at aliqua tamen uiuere**. } spe si non om-  
nino, saltem aliqua ex parte restituentae reip. qua cum spe nos uiuimus. **NULEA sibi subsidia** } quae  
nobis magna parata sunt: nam studia solatijs, & salutem afferunt in aduersis rebus. ep. 12. **SVPERIOR** }  
ad illud respicit: Quod ego cur nolim, non uideo. ideo enim fluere coepit oratio. **HIS tempestatibus es  
prope solus in portu**, } quia, cum omnes fere molestijs, miserijsq. uexentur, tu tamen in studijs iucundissimè  
me conquiescis. Ep. 1. Teque, quod in eo permanseris, sapientiore, quam me, dicunt fuisse: Huc spectat  
& illud ex ep. 2. Tu enim ipse, qui & me, & alios prudentia uincis, omnia, credo, uidisti: nihil omnino te  
fefellit. **VT EA consideres, eaq. tractes**, } hi sunt fructus doctrinae maximi. **ISTORVM** } Cae-  
sarianos dici constat: qui ob uictoriam laetissimi erant. **INSTAR esse uitae puto**: } tanti aestimandos  
puto, quanti uitam quisque suam aestimat. Similis, ac illustrior etiam illa sententia in Pisonem: Vnus ille  
dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redij. Nec dissimile illud pro Sextio: Ei, qui  
pendet a rebus leuissimis, plausum immortalitatem, sibi uel mortem uideri necesse est. Instar mortis, lib.  
2. de Off. Et Virg. lib. 2. Aen. Instar montis equum. **EAM uitam** } remotam ab actione rerum, eum stu-  
dijs, & litterarum tractatione coniunctam. **DOCTI homines**, } ut Plato, Theophrastus, alij, qui se  
totos, omnia reip. cura, contemplationi dederunt. **FORTASSE non recte**, } quia multis actio pro-  
dest, uni tantum, aut paucis contemplatio. Quod autem hic dicit, Fortasse non recte: nec affirmare uoluit,  
rectum non esse, quia, sublata reip. procuracione, Caesare dominante, probanda magis contemplatio uide-  
batur: alibi, non esse rectum, & actionem contemplationi praefendam, plane dixit: ut lib. 11. Off. Cog-  
nitio, contemplatioq. naturae manca quodam modo, atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequa-  
tur. ea uero actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur. Pertinet igitur ad societatem generis  
humani. ergo haec cognitioni anteponenda est. atque id optimus quisque re ipsa ostendit, & indicat. Hanc  
Ciceronis opinionem, in eius fortasse libris de Rep. notatam, Lactantius ita refert lib. 111. c. 6. Recte Tul-  
lius ciuiles uiros, qui temp. gubernant; qui urbes aut nouas constituant, aut constitutas aequitate tuean-  
tur, qui salutem, libertatem ciuium, uel bonis legibus, uel salubribus consilijs, uel iudicij grauib. confer-  
uent, philosophiae doctoribus praefert. **ETIAM reip.** } quae nunc nulla est. quo magis nos amplecti  
studia debemus, eorum exemplo, qui etiam reip. studia praeposuerunt. **MAGNORVM hominum** } do-  
ctos proxime uocauit. **ETIAM publici muneris**, } etiam cum resp. non concedere uidetur, ut otiosi si-  
mus; cum scilicet, rebus saluis, quae nunc perditae sunt, officium, atque operam a ciuib. exigit. **CON-  
CEDENTE** } quia liberè administrari non potest; ideo concedit nobis, ut in literis uiuamus. **ABV-  
TAMVR?** } non accipio in malam partem, sed quati dictum sit utamur arbitratu nostro. **QVAE tua  
audiero**, } sic omnes libri scripti. rectius, Quaeq. audiero. alioqui subesse mendum uidetur.

## Argumentum ep. 7.

**M**aturum iam esse ait, ut ab urbe discedat: & de Caesaris, ex Africano bello redeuntis, itinererumores diuersos nunciat. Eodem anno.

Cicero S. D: Varroni. 7.

**C**ENABAM apud Seium, cum utriusque nostrum redditae sunt a te litterae. Mihi uero iam maturum uidetur. nam, quod antea te calumniatus sum, indicabo malitiam meam. uolebam prope alicubi esse te, si quid bonae salutis *σύντεδόν ἐξορέω*. nunc, quando confecta sunt omnia, dubitandum non est, quin equis uiris. nam, ut audiui de Lucio Caesare filio, mecum ipse: Quid hic mihi faciet patri? itaque non desino apud istos, qui nunc dominantur, cenitare. quid faciam? tempori seruiendum est. Sed ridicula missa, praesertim cum sit nihil, quod rideamus.

,, Africa terribili tremit, horrida terra, tumultu. Ita-

que nullum est ἀποπροσηγμένον, quod non uerear. Sed, quod quaeris, quando, qua, quo, nihil adhuc scimus: istuc ipsum de Baijs: non nulli dubitant, an per Sardiniam ueniat. illud enim adhuc praedium suum non inspexit: nec ullum habet deterius, sed tamen non contemnit. ego omnino magis arbitrator per Siciliam: uel iam scimus: adueniat enim Dolabella. eum puto magistrum fore. ,, πολλοὶ μαθητὰὶ κερήτρες διδασκάλων. sed tamen, si sciam quid tu constitui ueris, meum consilium accommodabo potissimum ad tuum: quare expecto tuas litteras. Vale.

## EXPLANATIO

**M**ATURUM} ut eamus obuiam Caesari. QVOD antea te calumniatus sum, } abundare, Te, semper putavi, nunc eo magis, quod, opinionem meam qui comprobaret, ueterem librum inueni. Coniecturam meam inde ducbam, quia Cicero numquam Varronem calumniatus erat, sed ipse secum, ea cogitans, uel potius ea se cogitare simulans, (hoc enim ostendunt, illa uerba, Indicabo malitiam meam) quae nullo modo cogitabat, quae Calumnia recte dicitur, ut ep. 1. & 4. lib. 1. Significat autem illa, quae scripsit ep. 2. Sed calumniabar ipse: &c. VOLEBAM. PROPE. ALICUBI. ESSE TE, } omnes libri ueteres, Esset, uno excepto, in quo est, Esse. quo librorum consensu, ut legendum arbitraret, Esse te, sum adductus. Vel, si legamus, Esse, subaudiendum, Te. Non displiceret, Esset, quod uideo placuisse nonnullis; si uel unum antiquum librum, qui suffragaretur, inuenirem. SI QUID. BONAE. SALVTIS } si de Pompeianorum uictoria nuncius afferretur, timebat enim eos Cicero, si uicissent, itaque in ep. 6. Nunc uero, ait, si essent nostri potiti, ualde intemperantes fuissent. erant enim nobis perirati. Quod si ad eos uterque simul iuissent; aliquanto minus timendum existimauerat. Potest etiam intelligi, Si quid bonae salutis, si salus nostra tutior esset, utroque simul ad Caesarem eunte. Verum haec sententia ideo mihi non probatur, quia sequitur, Quando confecta sunt omnia. quod omnino pertinere uidetur ad Caesaris uictoriam: de qua antea cum subdubitasset, licet allato nuncio, malitiose calumniatus erat, non ueras morandi causas afferens, in ep. 2. in qua etiam dixit, Rumor ipse: ut incertum adhuc esse ostenderet, nunc uero moras tollit, affirmatq. obuiam omnino eundem Caesari. *σύντεδόν ἐξορέω*. } utroque simul eunte, sumptum ex Homero, lib. x. II. quod etiam usurpatum est ep. 6. lib. 1. ad Att. QVANDO } sic duo ueteres libri: alij, Quoniam: nonnulli, Quom. nihil reijcio: sed, Quando, libentius retinco. CONFECTA sunt omnia, } in Africa, afflictis omnino Pompeianis. EQVIS uiris. } omni conatu, manibus pedibusq. subaudi, Caesari obuiam eamus. Translatio a militari certamine, quo contenditur equis, uirisq. inde manauit prouerbium, cum uero celeritas indicatur, Equis, uelis, dicitur, fugientium similitudine, terra mariq. L. CAESARE filio, } quem Caesar occiderat. Suetonius: Nulli perijisse, nisi in proelio, reperientur, exceptis dumtaxat Afranio, & Fausto, & L. Caesare iuueni: ac ne hos quidem uoluntate ipsius interemptos putant. quorum tamen & priores, post impetratam ueniam, rebellauerant: & L. Caesar, libertis, seruissq. eius ferro & igni crudellem in modum enectis, bestias quoque, ad minus populi comparatas, contrucidauerat. Dio tamen lib. XLIII. iussu Caesaris occulte interemptum ostendit, quia perpetuo contra ipsum pugnasset. Huius Caesaris pater fuit L. Caesar, uir optimus, auunculus M. Antonij, ep. 1. & lib. XII. ep. 2. 5. QUID hic mihi faciet patri? } Si L. Caesarem, propinquum suum, necauit: quid mihi faciet? Sumpsit ex Andria, Terentij. APUD istos, } ut eorum gratia uear me apud Caesarem. Significat in primis Hirtium, Balbum, Oppium, Matium, alios. MISSA, } subaudi, sint: uel, faciamus, ep. 12. lib. VI. AFRICA terribili tremit, horrida terra, tumultu. } Ennij uersus, Africa, inquit, afflictata bello est. itaque nihil est tam reiectum, quod non timeam. Hic libet Festi uerba recitare. Metonymia, inquit, est tropus, cum ab eo, quod continet, significatur id, quod continetur: ut Ennius, cum ait: Africa terribili tremit horrida terra tumultu. aut ab eo, quod continetur, id quod continet: ut cum dicitur epota amphora uini. QVANDO, qua, quo: } quando sit Caesar uenturus, qua uia, ad quem locum,

eum. De tempore Cicero respondit, Nihil adhuc scimus: de uia, Nonnulli dubitant, an per Sardiniam: de loco, Istuc ipsum de Baijs. Hinc opinor hanc epistolam, in qua nihil certi de Caesaris aduentu Cicero significat, ante superiorem proximam scriptam esse, in qua Caesaris aduentum expectari dicit, & exiturum uel Ostiae, uel in Allifense. **ISTUC ipsum** } quod dicitur: eum scilicet Baias ire uelle. **PER Sardiniam** } per quam cum uenisse, scriptum est apud Hirtium. **PRAEDIVM suum** } Per iocum Sardiniam uocat Caesaris praedium: quali prouinciae populi R. Caesaris essent praedia. **NON inspexit:** } cum cetera praedia, idest ceteras prouincias, inspexisset. primum enim contra Pompeij legatos in Hispania bellum gesserat, deinde in Thessalia contra ipsum Pompeium, postremo in Africa, quo per Siciliam traiecit, contra Scipionem, & Iubam regem. quibus in bellis ditionem fere omnem inspexit populi R. nam Gallias ante subegerat. **DETERIVS,** } ob insalubre caelum. ep. 24. lib. VII. **NON contemnit.** } cum ioco dictum. praediorum enim domini, quae non contemnunt, inspiciunt. **PER Siciliam:** } Per Sardiniam uenit, ut iam diximus. **DOLABELLA.** } P. Cornelius Dolabella, qui fuerat Ciceronis gener. is ex Africano bello redibat, Caesare mox uenturo. Phil. 2. Ter depugnauit Caesar cum ciuibus, in Thessalia, Africa, Hispania. omnibus affuit his pugnis Dolabella. **MAGISTRVM** } docebit me, qua ratione amissam Caesaris gratiam recuperem: cum ego eum in arte oratoria docere solitus sim. Iocatur Cicero, ut ep. 46. lib. XIII. ad Att. Dolabella scribit, se ad me posttridie iduum. O magistrum molestum. ep. 16. lib. VII. ep. ult. de Dolabella, discipulo Ciceronis, mentio fit.

, Πολλοί μαθηταὶ κρείττους διδασκάλων. } multi discipuli meliores magistris. Senarius est ueteris poetae. Utior, inquit, erit mihi illius doctrina, quam illi mea. **CONSTITVERIS,** } de obuiam itione. uterque enim reuertenti ex Africa Caesari obuiam ire cogitabat. quo spectat illud, Dubitandum non est, quin equis, uiris.

## Argumentum ep. 8.

**P**Romiserat Varro, quosdam libros Ciceroni se esse dicaturum. Cicero eum promissi admonet, missis quasi admonitoribus quattuor libris Academicis. Caesare quartum consule, sine collega.

Cicero S. D. Varroni. 8.

**E**TSI, munus flagitare, quamuis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus: tamen ego expectatione promissi tui moueor, ut admeum te, non ut flagitem. nisi autem ad te quattuor admonitores, non nimis uerecundos. nosti enim profecto os eius adolescentioris Academiae. ex ea igitur media excitatos mihi: qui, metuo, ne te forte flagitent: ego autem mandauit, ut rogarent. expectabam omnino iamdiu, meq. sustinebam, ne ad te prius ipse quid scriberem, quam aliquid accepissem; ut possem te remunerari quamsimillimo munere: sed, cum tu tardius faceres, id est, ut ego interpretor, diligentius; teneri non potui, quin coniunctionem studio rum, amorisq. nostri quo possem litterarum genere declararem. feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, cum esset una Pomponius. tibi dedi partes Antiochinas; quas a te probari, intellexisse mihi uidebar; mihi

sumpsi Philonis. puto fore, ut, cum legeris, mirere id nos locutos esse inter nos, quod numquam locuti sumus: sed nosti morem dialogorum. posthac autem, mi Varro, quamplurima, si uidebitur, & de nobis, & inter nos: sero fortasse; sed superiorum temporum fortuna reip. causam sustineat: haec ipsi praestare debemus. atque utinam, quietis temporibus, atque aliquo, si non bono, at saltem certo statu ciuitatis, haec inter nos studia exercere possemus. quamquam tum quidem uel aliae quaequam rationes honestas nobis & curas, & actiones darent. nunc autem quid est, sine his cur uiuere uelimus? mihi uero cum his ipsis uix, his autem detractis, ne uix quidem. Sed haec coram, & saepius. Migrationem, & emptionem feliciter euenire uolo: tuumq. in ea re consilium probo, Cura ut ualeas.

## EXPLANATIO

**O**STENDERIT, } significauerit se daturum. ep. 1. Se acerrimum tui defensorem fore ostendit, & ep. 41. lib. XIII. Ea, quae initio ostendisti. Munus declarare, idem est. uide ep. 2. lib. 2. **PROMISSI. TUI** } fortasse libros de lingua Lat. significat, quos postea Varro ad Ciceronem misit. **QUATTUOR admonitores,** } quattuor libros Academicos: quorum primus dumtaxat existat: reliqui tres desiderantur. eiusdem argumenti libros duos antea scripserat, Catulum, & Lucullum: sic enim inscripserat. Catulus interijt, superest Lucullus. postea disputationem illam ad Catonem, Brutumq. transiit: postremo ad Varronem, Attici admonitu. qua de re uide lib. III. ad Att. ep. 12. 13. 14. 16. 18. 19. 22. 23. 24. 25. 26. 35. 43. **NON nimis uerecundos.** } itaque metuo, ne promissum tuum efflagitent. **NOSTI** } hoc dicit, quia ueterem, non nouam Academiam Varro probabat, cum Antiochi Afcalonitae, ma-

tae, magistri sui, sententiam sequeretur. ad Att. ep. 12. 16. 19. lib. XII. OS; impudentiam: cum au-  
 derent affirmare, nihil posse percipi: quam uocabant ἀκαταλυσίαν: eiusq. Academiae princeps Arcesilas  
 contra omnia semper diceret, ut est lib. v. de Fin. OS autem ideo sumitur pro impudentia, quia pudoris in-  
 dicium exortus in ore rubor est: qui uero nihil commouetur, OS ei semper idem est, perpetuusq. naturalis  
 color. OS igitur ita durum, ut mutetur nunquam, impudentia est: quia naturam uincit culpa, & quasi do-  
 minatur, infamiam contemnens: natura enim, quod dedecet, & aduersetur honestati, ferre nihil solet.  
 propterea apud comicos probri loco obijcitur illud, OS hominis. Et Vatinius ep. 10. lib. v. Si Appij OS ha-  
 berem, tamen hoc sustinere non possem. **ADOLESCENTIORIS Academiae.** dicturi aliquid de  
 Academia, praeponeamus, quod a Sexto philosopho traditum lib. 1. Pyrrh. legimus, philosophandi tres  
 fuisse rationes, maxime diuersas, δογματικῶν, in qua fuit Aristoteles, Epicurus, Stoici, alijq. nonnulli,  
 qui se putabant summum bonum inuenisse: ἀκαδημαϊκῶν, in qua Clitomachus, Carneades, alijq. Acade-  
 mici negabant percipi quidquam posse: σκεπτικῶν, in qua semper quaerebant, & in ea Pyrrho in primis ex-  
 celluit. Tres autem Laertius nominat Academiae, (nec tamen desuere, ut ait Sextus, qui quinque consti-  
 tuerent) ueterem, mediam, nouam. ueteris auctorem Platonem, mediae Arcesilam, nouae Lacydem,  
 quinque Sextus Empiricus uidetur agnoscere, & auctorem primae Platonem, secundae Arcesilam, tertiae  
 Carneadem, quartae Philonem, & Charmidam, quintae Antiochum. Cicero duas tantum, ueterem, &  
 nouam: quiq. in uetere floruerint, hos memorat in Lucullo, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem,  
 Parmenidem, Xenophanem, Socratem, Platonem, Speusippum, Xenocratem, Polemonem, Cratetem,  
 Crantorem: in recentiore autem, Arcesilam, qui negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud qui-  
 dem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset: post eum, Lacydem, Euandrum, Egesimum, & quartum, ut  
 ait Cicero, ab Arcesila, eiusq. imitatore, sententiae Carneadem, Clitomachum, & Philonem: qui, Ar-  
 cesilam secuti, contra omnium sententias disputabant: in quo modestiores fuerant ueteris Academiae phi-  
 losophi. Honestae enim uiuere, fruente rebus ijs, quas primas homini natura conciliet, uetus Academia  
 censuit. In Lucullo. Recentioris ut principes agnoscere Cicero uidetur lib. 1. de leg. Arcesilam, & Car-  
 neadem. sic enim scripsit: Perturbatricem harum omnium rerum Academiae, hanc ab Arcesila & Carnea-  
 de recentem, exoremus, ut sileat. nam si inuaserit, in haec, miras edet ruinas. quam quidem ego placere  
 cupio, submouere non audeo. Adolescentiorem, cum de noua loquatur, appellat Cicero, lepide iocans,  
 quia solent adolescentes impudentiores esse, quam qui maiore sunt aetate: & quia loqui coeperat de libris  
 academicis, tanquam de animatis; cum dixit: Misi ad te quattuor admonitores, non nimis uerecundos.  
 qua similitudine ita delectatur, ut infra quoque, nihil ab ea recedens, intulerit: Qui, metuo, ne te forte  
 flagitent: ego autem mandavi, ut rogarent. **EX. EA igitur media excitatos** in ijs enim quattuor li-  
 bris ea tractabantur, quae sumpta erant de media recentiore Academia. In uerbo, Excitatos, mittentis cu-  
 piditas indicatur, ut suo munere Varronem ad remunerandum eliceret. **FLAGITENT:** ut sunt im-  
 pudentes. **MANDAUI, ut rogarent.** sum enim, ut unus ex uetere Academia, modestior. Hoc Ci-  
 cero tacite significat. **EXSPECTABAM** excusat se, quia prior ad Varronem, quasi promissum  
 eius exigens, munus miserit Academicorum librorum. **MEQ. sustinebam,** in magna scribendi ad  
 te uoluntate, sic Acad. lib. 1. editionis secundae: Cum se a respondendo sustineret. **QUAM simillimo  
 munere:** ep. 12. ad Att. lib. XIII. Ego autem me parabam ad id, quod ille mihi misisset, ut ἀντὶ τῆς  
 μέρας. &c. **CUM tu tardius faceres, id est, ut ego interpretor, diligentius;** Acad. lib. 1. in prooemio sic  
 loquitur Varro: Habeo opus magnum in manibus: quod iam pridem ad hunc ipsum (me autem dicebat)  
 quaedam institui; quae & sunt magna sane, & limantur a me politius. Tum Cicero ita respondet: Et ego  
 ista quidem, inquam, Varro, iam diu exspectans, non audeo tamen flagitare, audiui enim e Libone no-  
 stro, non ea te intermittere, sed accuratius tractare, nec de manibus umquam deponere. De his libris,  
 quos arbitror, ut iam dixi, eos esse, qui de lingua Lat. inscripti sunt, hodieq. exstant, sic ep. 12. ad Att.  
 lib. XIII. Varro mihi denunciauerat magnam sane, & grauem προσφώνησιν. biennium praeterijt, cum il-  
 le Καλλιπιδης assiduo cursu cubitum nullum processerat, ego autem me parabam ad id, quod ille mihi  
 misisset, ut ἀντὶ τῆς μέρας, κατ' ἰώιον; si modo potuissem. **ANTIOCHINAS;** ut ea Varro dispu-  
 tans exponeret, quae Antiochus Ascalonita, Academicus philosophus, contra Philonem dixerat, &  
 scripserat. Plutarchus in Lucullo, Bruto, Cicerone: & alij. Antiochinas ab Antiocho deduxit, ut a Bru-  
 to Brutinus, a Theopompo Theopompinus, a Metello Metellinus, & reliquis nominibus in us. delinente-  
 bus, antecedente tamen consonante: nam si uocalis antecedit, in anus delinunt, ut a Pompeio Pompeia-  
 nus, a Tullio Tullianus. superior tamen regula ne exceptionem habeat, interdum uereor. nam cum a Dru-  
 so Drusinus fieri debeat, Drusianis tamen hortis, non Drusinis, Cicero dixit ep. 24. lib. XII. ad Att. &  
 Tacitus lib. 2. Drusianae fossae: si modo libri uulgati uacant mendo: quod eo magis licet suspicari, quia  
 Suetonius in Claudio, Drusinae fossae, non Drutianae, dixit. Et apud Plinium, lib. XXXIV. cap. 8. ubi est  
 in impressis libris: Huius est Minerua, quae dicitur Catuliana: scriptum est in antiquo Maffeorum Cata-  
 lina: idq. postulat analogia. **PHILONIS.** qui nouam Academiae, ex Arcesilae sententia, quae  
 si meliorem uetere uetebatur. In Bruto: Cum princeps Academiae Philo Romam uenisset, totum ei me tra-  
 didi, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus. **MOREM DIALOGORVM.** scri-  
 buntur enim in dialogis ea, quae, licet disputata non sint, uerisimilia tamen sunt. **DE. NOBIS,** non  
 de alijs, ut in his dialogis, in quibus de Antiocho, & Philone disputamus. **INTER. NOS:** simul  
 enim uiuemus. ep. 2. Modo fiet nobis illud, una uiuere in studijs nostris. **SUPERIORVM temporum  
 fortuna reip. caussum sustineat:** quod sero haec inter nos studia incipiamus exercere, fortunae reip. non  
 nobis,

nobis, adscribi oportet: excusat nos, quod attinet ad superiora tempora, & sustinet causam nostram fortuna reip. conuictum enim nostrum reip. calamitas impediuit. haec uero tempora praestare ipsi debemus: nobis horum temporum reddenda ratio est. otium enim habemus, cum in oppressa rep. nihil iam agere liceat. itaque scribamus & de nobis, & inter nos. **SALTEM certo** } optat si non bonam, saltem aliquam reip. formam. non enim mitiorem tyrannum, sed rempublicam, si non optimam, saltem tolerabilem exoptat. **QVAM QVAM** } correctio: quia dixerat, Haec inter nos studia exercere. quamquam, inquit, tum quidem esset, quod honeste curare possemus. **VEL. ALIAE** } etiam aliae. nam, Vel interdum ualeat, Etiam, auctore Donato, cum illud interpretatur in Andria Terentij: Vel hoc quis non credit? Sic Virgilius ecl. 8. Carmina uel caelo possunt deducere Lunam. Et Cicero ipse ep. 16. lib. IV. ad Att. Occupationum mearum uel hoc signum erit, quod epistola librarij manu est. Alibi est pro, Veluti, ut ep. 13. lib. 2. & 24. lib. VII. **HONESTAS** } quae nunc honestae non sunt, rep. seruiente. **SINE HIS** } studijs. **VIX** } uix est, cur uelim uiuere, cum his ipsis etiam studijs. **NE. VIX. QUIDEM.** } sic locutus lib. 2. de Fin. **MIGRATIONEM,** } in domum nuper emptam.

## Argumentum ep. 9.

*Vadet Ciceroni gener eius Dolabella, ut se uel cum Caesare coniungat, uel in otium referat. quod idem Coelius quoque scripserat, ep. 16. lib. 8. Caesare iterum, & Serulio cos.*

*Dolabella S. D. M. Ciceroni. 9.*

**SI** nales gaudeo: & ipse ualeo; & Tullia nostra recte ualeat. Terentia minus belle habuit: sed certum scio, iam conualuisse eam. praeterea rectissime sunt apud te omnia. Esi nullo tempore in suspensionem tibi debui uenire, partium causa potius, quam tua, tibi suadere, ut te aut cum Caesare, nobiscumque coniungeres, aut certe in otium referres: praecipue nunc, iam inclinata uictoria, ne possim quidem in ullam aliam incidere opinionem, nisi in eam, in qua scilicet tua de re tibi suadere uidear, quod pie tacere non possum. tu autem, mi Cicero, sic haec accipies, ut, siue probabuntur tibi, siue non probabuntur, ab optimo certe animo, ac deditissimo tibi & cogitata, & scripta esse indices. Animaduertis Cn. Pompeium nec nominis sui, nec rerum gestarum gloria, nec etiam regum, aut nationum clientelis, quas ostentare crebro solebat, esse tutum; & hoc etiam, quod infimo cuique contigit, illi non posse contingere, ut honeste effugere possit, pulso Italia, amissis Hispanijs, capto exercitu ueterano, circumuallato nunc denique: quod, nescio, an ulli unquam nostro acciderit imperatori. quamobrem, quid aut ille sperare possit, aut tu, animum aduerte pro tua

prudencia. sic enim facillime, quod tibi utilissimum erit, consilij capies. Illud autem a te peto, ut, si iam ille euitauerit hoc periculum, & se abdiderit in classem, tu tuis rebus consulas, & aliquando tibi potius, quam cuius, sis amicus. satisfactum est iam a te uel officio, uel familiaritati: satisfactum etiam partibus, & ei reip. quam tu probabas. reliquum est, ubi nunc est res. ibi simus potius, quam, dum illam ueterem sequimur, simus in nulla. quare uelim, mi incundissime Cicero, si forte Pompeius, pulsus his quoque locis, rursus alias regiones petere cogatur, ut tu te uel Athenas, uel in quamuis quietam recipias ciuitatem. quod si eris facturus, uelim mihi scribas; ut ego, si ullo modo potero, ad te aduolem. quaecumque de tua dignitate ab imperatore erunt impetranda; qua est humanitate Caesar, facillimum erit ab eo tibi ipsi impetrare: & meas tamen preces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto. Erit tuae quoque fidei, et humanitatis, curare, ut is tabellarius, quem ad te misi, reuerti possit ad me, & a te mihi litteras referat. Vale.

## EXPLANATIO

**T**ERENTIA } uiuissse eam annos centum & octo, auctor est Plinius. **PARTIUM** } Caesaris, cum quo ipse fuit in omnibus bellis ciuilibus. **IAM inclinata uictoria,** } iam enim Pompeius Italiam, Hispaniasque amiserat. **PIE** } pro nostra affinitate. **NOMINIS. SUI,** } Magnus enim ob res gestas uocabatur. **CAPTO** } in Hispania. **VETERANO** } Legimus in Suetonio, dixisse Caesarem, cum iret aduersus Pompeij legatos in Hispaniam, ire se ad exercitum sine duce, & inde reuersurum ad ducem sine exercitu. Quod res ipsa comprobauit, collecticio enim exercitu Pompeius in Pharsalia dimicauit. ep. 3. lib. VII. **CIRCUMVALLATO** } ad Dyrhachium. Suetonius, Caesar ipse lib. III. de bel. ci. Plutarchus, alij. **QVOD,** } nescio, an ulli unquam nostro acciderit imperator? } pro, fortasse, usurpat saepe Cicero, Nescio, uel, haud scio, maiore quadam elegantia, ut infra, ep. 13. Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini. Et ep. 15. Est id quidem magnum, atque haud scio an maximum. Et de Orat. lib. 2. Videtis ne, quantum munus sit oratoris historia, haud scio an flumine orationis, & uarietate maximum.

maximum. Ibidem: Magnum quoddam opus est, atque haud scio, an de humanis operibus longe maximum. ANIMVM aduerte sic Plautus, & Terentius locuti. EVITAVERT sic cuitavit. ABDIDERT non abdidit, sed tanquam victor Dyrrhachio discessit. ALIQUANDO quasi iam antea Cicero peccasset, cum in Graeciam ad Pompeium nauigauit, Coelio in primis dissuadente. ep. 16. lib. IX. SATISFACTVM est iam a te vel officio, uel familiaritati: sic Virgilius lib. 2. Aen. Sat patriae, Priamoq. datum. Officio: erga hominem bonemeritum. ep. 6. lib. VI. Veritus sum deesse Pompei salutem; cum ille aliquando non defuisset meae. Familiaritati: quae Cicero cum Pompeio fuit. PAR-TIBVS, Pompeianis, quas probasti. HIS quoque locis, Dyrrhachio, sicuti pulsus est Italia.

## Argumentum ep. 10.

Quasi per iocum scribit, inter Niciam, & Vidium se iudicem esse constitutum: & item per iocum, P. Sullae mortem significat. Caesare quartum consule, sine collega.

Cicero S. D. Dolabellae. 10.

NON sum ausus Saluio nostro nihil ad te litterarum dare: nec mehercule habebam, quid scriberem, nisi, te a me mirabiliter amari: de quo, etiam nihil scribente me, te non dubitare certo scio. omnino mihi magis litterae sunt expectandae a te, quam a me tibi. nihil enim Romae geritur, quod te putem scire curare: nisi forte scire uis, me inter Niciam nostrum, & Vidium iudicem esse. profert alter, ut opinor, duobus uersiculis expensum Niciae: alter Aristarchus hos & Sed & ego, tamquam criticus antiquus, iudicaturus sum, utrum sint & ποιητῆς, an παρασκευασθέντες. puto, te uincere dicere: Oblitus ne es igitur fungorum illorum, quos apud Niciam? & ingentium cularum cum Sophia Septimae? Quid ergo? tu adeo mihi excussam seueritatem ueterem

putas, ut ne in foro quidem reliquiae pristinae frontis appareant? sed tamen suauissimum συμμοριον nostrum praestabo integellum: nec committam, ut, si ego cum con-demnaro, tu resistas: ne habeat Plancus Bursi, apud quem litteras discat. Sed quid ago? cum mihi sit incertum, tranquillo ne sis animo, an, ut in bello, in aliqua maiuscula cura, negotio ue uersere. labor longius. cum igitur mihi erit exploratum, te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus. te tamen hoc scire uolo, uehementer populum sollicitum fuisse de P. Sullae morte ante quam certum scierit. nunc quaerere deserunt, quo modo perierit. satis putant se scire, quod sciunt. ego ceteroqui animo aequo sero: unum uereor, ne hasta Caesaris refrixerit. Vale.

## EXPLANATIO

SALVIO NOSTRO} liberto. NICIAM} hic est Curtius Nicias grammaticus, de quo Suetonius in libro de grammaticis, familiaris Dolabellae fuit. ep. ult. lib. XIII. ad Att. IUDICEM} de pecunia, quam sibi a Nicia deberi Vidius aiebat. ALTER,} Vidius. UT OPINOR,} opinari se dicit, quia Vidij codicem accepti & expensi nondum fortasse uiderat. ALTER ARISTARCHVS} ut Aristarchus olim, quos Homeri non esse uersus arbitrabatur, obliuiscio notabat, ut inducerentur tamquam nothi: sic Nicias uersiculos illos, expensam sibi pecuniam indicantes, non agnoscebat, fictosque a Vidio dicebat. Οβελισα.} ueru notat. CRITICVS} ut Aristarchus. τῶ ποιητῆ,} poetae Homeri. Iocum Cicero quaesuit in similitudine. nam quia, uersiculis, dixerat, & mox, Aristarchus; ideo poetam nominauit; cum Vidium ipsum significet, qui uersiculos illos scripserat. Παρασκευασθέντες} interiecti: sic a Vidio ficti, ut in Homeri poemate interiecti a nescio quo uersus aliquot erant, de quibus Aristarchus iudicauit. QVOS APUD NICIAM?} comedisti, CULARVM} lautae cenae significantur, quibus affuit Cicero cum Nicia, & eius fortasse uxore Sophia. Hic ueteres libri discrepant inter se. habent enim, Cularum, Gularum, Tullarum, Gallinarum, Cochlearum, Ferculorum: duo, Cularum: quos probaui. SEPTIMAE?} filia. Mulieres interdum ab ordine nascendi appellabantur, Prima, Secunda, Tertia, siue Tertulla, & sic deinceps. EXCVSSAM} deiectam, ereptam. SEUERITATEM} pro ueritate, & iustitia ponitur: ut in Verrem: De quo si uos seuerere, religioseque iudicaueritis: auctoritas ea, quae in nobis remanere debet, haerebit. sin istius ingentes diuitiae iudiciorum religionem, ueritatemque perfregerint: &c. Pro eo, quod dixerat, seuerere, religioseque reddidit, Religionem, ueritatemque. UT NE IN FORO QUIDEM} in uno tantum uetere libro, Quidem, inuenimus, quod ideo significandum duximus, quia, uel si tollatur, sententia tamen consistit, & fortasse rectius. PRISTINAE FRONTIS} seueritatis, quae fronte ostenditur. APPARENT?} in indicando. Συμμοριον} conuictorem. PRAESTABO INTEGELLVM:} efficiam, ne quid damni patiat. NEC COMMITAM,

mittam, ut si ego eum condemnaro, tu restituas: } iocari coepit, cum dixit: Ut ne in foro quidem reliquiae  
 pristinae frontis appareant. non enim de Niciae, & Vidij controuersia iudicaturus erat in foro, sed intra  
 domesticos parietes, iudex ab utroque electus communis amicitiae iure, patriq. aequitatis eius opinione.  
 fori uero mentionem facit, quia lites in foro iudicabantur. itaque, ut ingenio ualebat, eratq. cum fami-  
 liaribus festiuus, & facetus, primum, a forensibus iudicijs ad eam, quam inter duos litigantes, personam  
 susceperat, ducta similitudine, iocum quaesuit: deinde, ut iniquam notaret condicionem temporum,  
 quia Caesar damnatos lege Pompeia restituerat; cur ego, inquit, amicum tuum Niciam condemnem, cum  
 uos Caesariani iudicia rescindere, & damnatos restituere soleatis? itaque uereri possum, ne iudicium meum,  
 si tibi displicuerit, irritum facias, & quem ego condemnaro, tu in integrum restituas. **NE. HA-**  
**BEAT Plancus Bursa,** } tuo beneficio, ob Niciam a te restitutum. **APUD quem litteras discat.** } mor-  
 det ueterem suum inimicum Bursam, ut imperitum litterarum, & grammaticis uti solitum, fortasse et-  
 iam hoc ipso Nicia, ut aliquid disceret. Erat autem hic quoque Bursa, unus ex ijs, quos lege Pompeia  
 damnatos restituerat Caesar. ep. 2. lib. VII. **VT. IN. BELLO,** } Hispaniensi. **TE libenter esse uisurum;** }  
 confectum esse bellum, nec te iam in aliqua mansueta cura, negotio ue uersari. **ANTE QVAM certum**  
**scierit.** } uerebatur enim, ne falsum esset, quod esse uerum euipiebat: quia P. Sulla, quod & antea dicta-  
 tore propinquo suo L. Sulla, & postea Caesare, proscriptorum ciuium bona emere consueuerat, populo  
 in primis odio erat. de eius obitu ep. 17. & 19. lib. XV. nominatur etiam lib. 2. de Off. his uerbis: Nec ue-  
 ro umquam bellorum ciuiliu semem, & caussa deerit, dum homines perditam hastam illam cruentam & me-  
 minerint, & sperabunt, quam P. Sulla cum uibrasset dictatore propinquo suo, idem sexto & tricesimo an-  
 no post a sceleratiore hasta eadem non recessit. Opinor esse, quem Cicero defendit oratione, quae exstat.  
**QVO modo perierit.** } alij enim, a latronibus, alij, cruditate, dicebant. ep. 17. lib. XV. **QVOD. SCIVNT.** }  
 illum esse mortuum. **VNUM. VEREOR,** } cum ironia dictum. hastam enim illam Caesaris, ad  
 quam bona Pompeianorum ueniebant, Cicero, & omnes boni uehementer oderant. **REFRIGE-**  
**RIT.** } Refrigescere dicuntur ea, quae cessant. ep. 5. lib. 2. ad Q. fr. Quod de Pompeio Caninius agit,  
 sanequam refrixit. Contrario sensu accipitur, Calere. pro Plancio: Crimen de nummis caluit re recenti.  
 nunc in caussa refrixit. ep. 17. lib. XV. Caesarem putabant moleste laturum, uerentem ne hasta refrixisset.

## Argumentum ep. XI.

**T**ulliolae, filiae suae, mortem Dolabellae, qui iam antea cum ea diuor-  
 tium fecerat, dolenter significans, ait sibi plurimum solatij in illius  
 consuetudine, & sermonibus futurum. suos obtrectatores ab eo refutari  
 uult: sed amorem in se ex eo patefieri, magis gaudet. Excusat breuitatem  
 litterarum suarum. Caesare quartum consule, sine collega.

### Cicero S. D. Dolabellae. II.

**V**EL meo ipsius interitu mallem litteras meas omnibus est: firmitatem tamen, & constantiam, si modo  
 desiderares, quam eo casu, quo sum grauissime af- fuit aliquando in nobis, eandem cognosces, quam reli-  
 fectus: quem ferrem certe moderatius, si te haberem. quisti. Quod scribis, proelia te mea caussa sustinere:  
 nam & oratio tua prudens, & amor erga me singularis non tam id laboro, ut, si qui mihi obtrecent, a te resu-  
 multum leuaret. sed quoniam breui tempore, ut opinio tentur, quam intelligi cupio, quod certe intelligitur, me  
 nostra est, te sum uisurus; ita me affectum offendet, ut a te amari. quod ut facias, te etiam atque etiam rogo:  
 multum a te possim iuuari: non quo ita sum fractus, ut ignoscasq. breuitati mearum litterarum: nam & cele-  
 aut, hominem me esse, oblitus sim, aut fortunae succum riter una futuros nos arbitror; & nondum satis confir-  
 bendum putem; sed tamen hilaritas illa nostra, & sua- matius sum ad scribendum. Vale.  
 uitas, quae te praeter ceteros delectabat, erepta mihi

## EXPLANATIO

**D**ESIDERARES, } petierat Dolabella per litteras a Cicerone, ut sibi de Tulliae obitu aliquid scri-  
 beret; indicaretq. quam fortiter eum casum ferret. **ET oratio tua prudens, & amor erga me singu-**  
**laris** } ep. 6. lib. IV. Et ea scripsisti, quae leuare luctum possent; & in me consolando, non mediocrem  
 ipse animi dolorem adhibuisti. **BREVI tempore,** } iam enim Hispaniensi belli, cui Dolabella inter-  
 erat, exitus expectabatur. **HOMINEM me esse,** } ep. 16. lib. V. Homines nos ut esse meminimus,  
 ea lege natos, ut omnibus fortunae telis propostita sit uita nostra. Et ep. 17. eiusdem libri: Ut & hominem

Ccc te, &

te, & uirum esse meminisses. Et ep. 18. ibidem: Qua condicione omnes homines, & quibus temporibus nati sumus, cogites. FORTVNAE succumbendum? quod infirmi animi est. In eo tamen libro, quem de luctu minuendo ad se ipsum scripsit, uictum se a fortuna fatetur. En, ait, manum tollo, cedo, uicisti. Quae uerba recitant Lactantius, & Diuus Hieronymus. HILARITAS illa nostra, &c. Eadem est sententia de eadem re in ep. 39. lib. XII. ad Att. Hilaritatem, inquit, illam, qua hanc tristitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisi: constantia, & firmitas nec animi, nec orationis requiretur. PROELIA. SVSTINERE: acriter concertare cum obrectatoribus meis. CONFIRMATVS] ex eo casu, quo sum grauisime afflictus.

## Argumentum ep. 12.

**G**Ratulatur Dolabellae de repentina Baiarum salubritate: orationem, pro Deiotaro rege ad Caesarem habitam, mittit. Caesare quartum consule, sine collega.

Cicero S. D. Dolabellae. 12.

**G**RATVLO Baijs nostris; si quidem, ut scribis, salubres repente factae sunt: nisi forte te amant, & tibi assentantur; & tam diu, dum tu ades, sunt oblitae sui, quod quidem si ita est; minime miror, caelum etiam, & terras uim suam, si tibi ita conueniat, dimittere. Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum; quod non putaram: itaque eam tibi misi. uelim

sic legas, ut causam tenuem, & inopem, nec scriptione magnopere dignam. sed ego hospiti ueteri, & amico munusculum mittere uolui leuidense, crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera. Tu uelim animo sapienti, fortiq. sis; ut tua moderatio, & grauitas aliorum infamet iniuriam. Vale.

## EXPLANATIO

**B**AIIIS] salubres Baiarum aquae. Plinius lib. xxxi. cap. 2. NOSTRIS,] Blanditur loco, quia Bualetudinem commodiorem amico restituerit. ORATIONE] quae exstat. HABEBAM mecum: ] rusticabatur igitur Cicero. TENUEM, & inopem,] in qua non suppetent argumenta, quae alijs in causis deesse non solent. MUNUSCVLVM mittere uolui leuidense, crasso filo,] uerbum, Volui, est in quattuor antiquis libris. itaque non uideo, cur in dubium uocetur, praesertim requirente sententia. Leuidense autem, sine diphthongo in ultima syllaba, legitur in omnibus antiquis libris: nec de mendo suspicari possum; cum Ildorus lib. XIX. inter nomina uestium Leuidensem appeller, eamq. sic uocatam ostendat, quod raro filo sit, leuiterq. densata. Deinde subiungit haec: Paudentis, contraria leuidensi, dicta, quod grauiter densa, atque calcata sit. CUIVSMODI ipsius solent esse munera. ] quia non admodum liberalis erat. ALIORVM] Caesarianorum. INIURIAM,] quam inferebant uiris bonis, & legibus, atque institutis maiorum.

## Argumentum ep. 13.

**R**Ogat Dolabellam, ut Suberino, & Planio reditum in patriam a Caesare impetret: eosq. ita excusat, ut ostendat, casu quodam, & necessitate coactos Pompeij partes in Hispania secutos esse. Caesare quartum consule, sine collega, Hispaniensi bello confecto, cum nondum tamen Caesar in Italiam reuertisset. nam praesenti Dolabellae commendaticias litteras Cicero misisset. Commendationis capita quinque, unum, quod familiares sui sint Suberinus, & Calenus: alterum, quod Leptae, familiarissimi sui, per necessarii: tertium, quod cum Pompeij filio, non consilio, & uoluntate, sed casu potius, & necessitate quadam, contra Caesarem pugnauerint: quartum, quod

quod redacti fere ad inopiam sint: quintum, quod iam Caesar ijs uitam concesserit; ex quo non difficile uidetur, ab eodem ijs reditum impetrare.

Cicero S. D: Dolabellae. 13.

**C**. SUBERINVS Calenus & meus est familiaris, & Leptae, nostri familiarissimi, perneceffarius. is cum, uitandi belli causa, profectus esset in Hispaniam cum M. Varrone ante bellum, ut in ea provincia esset, in qua nemo nostrum, post Afranium superatum, bellum ullum fore putarat; incidit in ea ipsa mala, quae summo studio uitauerat: oppressus est enim bello repentino: quod bellum commotum a Scapula, ita postea confirmatum est a Pompeio, ut nulla ratione se ab illa miseria eripere posset. Eadem causa fere est M. Planij Heredis, qui est item Calenus, Leptae nostri familiarissimus. Hosce igitur ambos sic tibi commendo, ut maiore cura, studio, sollicitudine animi commendare non possim. nolo ipsorum causa: neq. in eo uehementer & amicitia mouet, & humanitas. Lepta uero cum ita laboret, ut eius fortunae uideantur in discrimen uenire; non possim ego non aut proxime, atque ille, aut etiam aequae laborare. quapropter, etsi saepe expertus sum, quantum me

amores: tamen sic uelim tibi persuadeas, id me in hac re maxime iudicaturum. Peto igitur a te, uel si pateris, oro, ut homines miseros, & fortuna, quam uitare nemo potest, magis, quam culpa, calamitosos, conserues incolumes; uelisque, per te me hoc muneris cum ipsis amicis hominibus, tum municipio Caleno, quicum mihi magna necessitudo est, tum Leptae, quem omnibus antepono, dare. Quod dicturus sum, puto equidem non ualde ad rem pertinere, sed tamen nihil obest dicere. res familiaris alteri eorum ualde exigua est, alteri uix equestris. quapropter, quando his Caesar uitam sua liberalitate concessit; nec est, quod ijs praeterea magnopere possit adimere: reditum, si me tantum amas, quantum certe amas, hominibus confice: in quo nihil est, praeter uiam longam: quam iccirco non fugiunt, ut & uiuant cum suis, & moriantur domi. quod ut enitare, contendasque, uel potius ut perficias, (posse enim te, mihi persuasi) uehementer te etiam atque etiam rogo. Vale.

## EXPLANATIO

**L** EPTAE, } Q. Leptae, qui Ciceronis in provincia praefectus fabrum fuerat. ep. 7. lib. III. V I-  
TANDI belli } ciuili, quod primum in Italia gestum est. M. VARRONE } legato Pompeij  
in Hispania cum Afranio, & Petreio. ANTE bellum, } quod Caesar cum legatis Pompeij gessit in Hi-  
spania. POST Afranium superatum, } unum de tribus nominat, quia consularis erat solus, ideoq. ho-  
nore primus. BELLVM ullum fore } quod fuit, & grauissimum omnium, cum Pompeij liberis. IN  
ea ipsa mala, } in bellum, cuius uitandi causa profectus erat in Hispaniam. SCAPVLA, } T. Quin-  
ctio Scapula, equite Romano. Dio lib. XLIII. NULLA ratione } ingeniosa excusatio: quasi Suberi-  
nus uoluerit quidem, sed nullo modo potuerit eius belli societatem uitare. EADEM causa } quod de  
Suberino, idem fere de Planio dictum puta. HEREDIS, } non dubito, quin sit hoc Planij, cognomen.  
itaque scripti, prima littera maiuscula. CVRA, studio, sollicitudine } singula uim petitionis augent.  
Volo ipsorum causa: } nota locutio. ep. I. lib. I. Regis causa si qui sunt, qui uelint. HVMANITAS, }  
humanitatis est, misereri afflictorum hominum, praesertim si fortuna magis, quam culpa, miseri sint. quod  
infra dicitur. VEL, si pateris, oro, } non enim pati uidetur amor in me tuus, ut te orem. petere satis  
est. Simile illud ep. 9. lib. I. Ea tantae mihi curae sunt, ut me nolim admoneri, rogari uero sine magno do-  
lore uix possim. QVEM omnibus antepono, } non, omnibus plane hominibus, (non enim Leptae  
tantum tribueret) sed, omnibus Calenis. nam & Lepta ex eodem erat municipio. NIHIL obest dicere, }  
fortasse etiam prodest. nam eorum, qui commendantur, inopia miserationem elicit. VIX equestris, }  
uix possidet quadraginta millia nummum. hic enim census equestris erat. Horatius ep. I. lib. I.

Si quadringentis sex septem millia defunt,  
Plebs eris.

## Argumentum ep. 14.

**D**olabellam effert laudibus, quia columnam, & aram, Caesari mortuo, tamquam deo, erectam, euerterat, hominesq. pessime contra ciuitatem, & libertatem animatos supplicio affecerat. Scripta paullo post Caesaris necem, M. Antonio, & ipso Dolabella cos.

**E**TSI contentus eram, mi Dolabella, tua gloria; satisq. ex ea magnam laetitiam, voluptatemq. capiebam: tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio; quod uulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus, neminem conueni, (conuenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi uiri, qui, ualitudinis causa, in haec loca conueniant, praeterea ex municipijs frequentes necessarii mei) quin omnes, cum te summis laudibus ad caelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant. negant enim se dubitare, quin tu, meis praeceptis, & consilijs obtemperans, praestantissimum te ciuem, & singularem consulem praebeas. quibus ego quamquam uerissime possum respondere, te, quae facias, tuo iudicio, & tua sponte facere, nec cuiusquam egere consilio: tamen neque plane assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis a meis consilijs profecta uideatur: neque ualde nego: sum enim audior etiam, quam satis est, gloriae. est tamen non alienum dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni, regum regi, fuit honestum, habere aliquem in consilijs capiundis Nestorem: mihi uero gloriosum, te iuuenem consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplinae meae. I. quidem Caesar, cum ad eum aegrotum Neapolim uenisset, quamquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen ante, quam me plane salutauit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum uales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium ualerem, iam salui esse possemus. Dolabellae uero tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem, post te consulem, solum possumus uere consulem dicere. deinde multa de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil praeclarior actum umquam, nihil reip. salutaris. atque haec una uox omnium est. A te autem peto, ut me hanc quasi falsam hereditatem alienae gloriae sinas cernere; neq. aliqua ex parte in societatem tuarum laudum uenire patiare. quamquam, mi Dolabella, (haec enim iocatus sum) libentius omnes meas, si modo sunt aliquae meae

laudes, ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis. nam cum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti: tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil umquam in amore fuerit ardentius. **N**IHIL est enim, mihi crede, uirtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amavi, ut scis, M. Brutum, propter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem, atque constantiam: tamen idibus Mart. tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi iam pridem cumulatam esse uidebatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare uidear, antea dilexisse. Quare quid est, quod ego te hortor, ut dignitati, & gloriae seruias? proponam tibi claros uiros; quod facere solent, qui hortantur? neminem habeo clariorem, quam te ipsum. te imitere oportet, tecum ipse ceteris. nec licet quidem tibi iam, tantis rebus gestis, non tui similem esse. quod cum ita sit; hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendum est. contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa seueritas animaduersionis non modo non inuidiosa, sed etiam popularis esset, & cum bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. hoc si tibi fortuna quadam contigisset; gratularer felicitati tuae: sed contigit magnitudine tum animi, tum etiam ingenij, atque consilij. legi enim concionem tuam: nihil illa sapientius. ita pedetentim, & gradatim tum accessus a te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animaduertendi omnium concessu daret. liberaisti igitur & urbem periculo, & ciuitatem meae: neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum. quo facto, intelligere debes in te positam esse remp. tibiq. non modo tuendos, sed etiam ornandos esse illos uiros, a quibus initium libertatis profectum est. sed his de rebus coram plura propediem, ut spero. Tu, quoniam remp. nosq. conseruas, fac ut illi gentissime te ipsum, mi Dolabella, custodias. Vale.

## EXPLANATIO

**D**OLABELLAE? P. Cornelio Dolabellae: qui cum antea gener Ciceronis fuisset, (ep. 16. lib. 2. & 13. lib. 11X.) postea diuortium fecerat. ep. 18. lib. VI. **CONVENIO** autem quotidie plurimos; sic locutus, uerbo repetito, ep. 5. lib. VI. **IN HAEC loca**? Baias. ep. 10. **SUMMIS laudibus**? ob euerfam columnam, & aram. ep. 2. lib. XI. & 1. lib. XII. & ad Att. ep. 15. 16. 19. lib. XIV. & Phil. 1. praeterea Suetonius, Appianus lib. III. Lactantius lib. I. cap. 15. alij. **CONSULEM**? interfecto Caesare, Dolabella cum fascibus tamquam consul in forum uenit. nam cum sibi Caesar, iturus ad bellum Parthicum, fuisset cerat. **NON alienum dignitate tua**, sic ep. 53. l. XIII. nonnulli ueteres libri, A dignitate tua: alij, Dignitati tuae. omnes recte, quod attinet ad consuetudinem Latini sermonis. nam & dandi, & auferendi, & generandi etiam casibus Alienum iungitur. **REGVM regi**, quia regibus omnibus ad bellum Troianum profectis imperabat. **NESTOREM**? quo potissimum consiliario utebatur Agamemnon. Homerus II. lib. I. **QVASI alumnum disciplinae meae**? discipulum suum uocat ep. 7. & 18. & lib. VII. ep. ult. I. **CAESAR**, Iuliae, M. Antonij matris, frater: auunculus igitur Antonij. Hunc Antonius, oppressa rursus post obitum Caesaris rep. necandum Octauijo tradidit; Octauius ei Cicronem. Sed cum ad eum interficiendum milites ab Octauijo missi uenissent, confugit ad Iuliam sororem: quae fratrem, obiecto percussoribus corpore, clamans Antonij matrem una cum fratre necandam, incolumem seruaui. Plutarchus, Appianus. **NEAPOLIM**? ep. 17. lib. XIV. ad Att. **SORORIS filium**? M. Antonium, Dolabellae col. legam in consulatu. **DE facto**, de columna, & ara sublata. **DE re gesta**: de seruis cruci affixis, liberis de rupe Tarpeia deiectis. ep. 15. lib. XIV. ad Att. O mirificum Dolabellam meum. iam enim dico meum: antea,

antea, crede mihi, subdubitabam. magnam *ἀναδεύουσι* res habet. de saxo, in crucem, columnam tollere, locum illum sternendum locare. quid quaeris? heroica. Et ad eundem, infra. *REIP. salutaris.* } ep. I. lib. XII. *QVASI falsam hereditatem* } tu enim, quae facis, tuo iudicio, & tua sponte facis. itaque haec non vera hereditas. *ALIENAE gloriae* } tuae. *CERNERE*; } usitatus loquendi modus, Cernere hereditatem, pro adire. Festus. ep. 2. lib. 2. ad Att. & 43. lib. XIII. *TRANSFUDERIM*, } contraria translata posuit, Transfuderim, Exhauserim. *ARDENTIVS.* } flagrare amore, incendi, inflammari, ardere, dicimus. *NIHIL formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius.* } ex forma, & pulchritudine oritur amor: ideo, Amabilis, tertio loco posuit. Apparet autem, cum dicat, Nihil formosius, nihil pulchrius, quiddam esse, quo differant inter se forma, & pulchritudo: idque, nisi fallor, tale est. Forma mouet, & ad uenerationem quamdam animum adducit, decora specie, & apta partium omnium compositione. Pulchritudo allicit, & fruendi cupiditatem gignit. Ex hac distinctione potest aliquid esse formosum, nec tamen pulchrum; & aliquid pulchrum, nec tamen formosum. itaque, formosus senex, proprie dicitur, pulcher, non item: & contra, pulchra oratio, uestis, domus, non formosa. Confundit interdum Cicero, ut nihil a pulchritudine differre forma uideatur: hic, quia perspicue alteram ab altera distinguit, utriusque uim indicare operaepretium fuit. *IDIBVS Mart.* } quo die Caesarem Brutus occidit. ep. 28. lib. x. & omnes historici. *TANTVM accessit*, } ob euerfam columnam, hominesq; libertatis inimicos extremo supplicio affectos. *AMARE uidear, antea dilexisse.* } Diligere, leuius est, quam Amare. in epistola ad M. Brutum: Clodius ualde me diligit, uel, ut *ἐμπαρισώτερον*, ualde me amat. ep. 47. lib. XII. Quid ego tibi commendem cum, quem tu ipse diligis? sed tamen, ut scires eum non a me diligi solum, uerum etiam amari, ob eam rem tibi haec seribo. Et ad M. Brutum, apud Nonium: Aut amabis me, aut, quo contentus sum, diliges. Terentius quoque ut diuersa posuit in Eun. Non pot, quo quamquam plus amem, aut plus diligam, eo feci. *TECVM ipse certes.* } non iam ut alios, sed ut te ipsum uincas. Egregius laudandi mos. de Orat. lib. III. Saepè inter homines sapientissimos constare uidi; quamquam hoc Crasso, cum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisset, ut numquam dixisse melius putaretur; tamen omnium consensu sic esse tum iudicatum, ceteros a Crasso semper oēs, illo autem die etiam ipsum a sese superatum. Ep. I. lib. I. ad Q. fr. Non ut cum alijs, sed ut tecum ipse certes. *QVOD haud scio an nemini*, } idem erat, Haud scio an cuiquam. Et utroque modo utitur Cicero. uide quae diximus ep. 9. *SVMMA seueritas animaduersionis* } hac de re sic in Phil. I. Cum serperet in urbe infinitum malum; idq; manaret in dies latius; iidemq; bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant; & quotidie magis magisque, perditii homines cum sui similibus seruis tectis, ac templis urbis minarentur: talis animaduersio fuit Dolabellae cum in audaces, sceleratosq; seruos, tum in impuros, & nefarios liberos, talisque, euersio illius execratae columnae, ut mihi mirum uideatur, tam ualde reliquum tempus ab illo uno die dissenfisse. *INUIDIOSA*, } odiosa: ut ep. I. lib. I. Regiae largitionis inuidia. *POPVLARIS* } grata omnibus: cum gratior soleat esse clementia: ep. 4. lib. x. ad Att. Ipsum non uoluntate, aut natura non esse crudelem, sed quod putaret, popularē esse clementiam. *INFIMO cuique* } quod mirum uidebatur: cum infimi homines licentia, & rerum nouitate delectentur. Eadem de re in ep. 16. lib. XIV. ad Att. *Quis audeat uiolare*, proposita cruce, uel saxo praesertim tantis plausibus, tanta approbatione infimorum. *FELICITATI tuae*; } non uirtuti. *ANIMI*, } hoc refertur ad rem gestam. *INGENII, atque consilij.* } hoc ad concionem ipsam, in qua uehementer eos accusabat, qui columnam illam in foro Caesari mortuo crexerant. *ACCESSVS ate ad causam facti*, } accessisti ad rem narrandam ita pedetentim, & gradatim, indeq; ita recessisti, non ut impetu quodam, & temeritate raptus ad animaduertendum uidereris, sed ut ipsa res, a te prudenter explicata, hortaretur te ad celerem animaduersionem, omnium concessu. *MATVRITATEM animaduertendi* } in eos, qui columnam crexerant. *VRBEM periculo, ciuitatem metu*; } tecta ab igne, ciues a caede. Differre Urbem a Ciuitate, quis iam nescit? Pro Sulla: In qua ciuitate res tantas gesserim, memini; & in qua urbe, intelligo. De hoc periculo sic ep. I. lib. XII. Manebat illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi, & otio diffiderem urbano. Et Philip. I. *AD. TEMPVS* } ut aliquandiu tua nobis haec praeclara actio fructum ferat. *AD exemplum.* } ut hoc exemplo semper homines ad bene de rep. merendum excitentur. In Vatinium: Quo etiam maiore es malo maclandus, quod non solum facto tuo, sed etiam exemplo temp. uulnerasti. *TVENDOS*, } ab iniuria. *ORNANDOS* } honoribus afficiendos. *ILLOS uiros*, } M. Brutum, C. Cassium, & alios, qui Caesarem regnantem occiderant. *INITIVM libertatis* } quasi dicat: a te consule reliqua expectantur; ut sis participes eiusdem gloriae. Ad hanc Ciceronis epistolam rescriptit Dolabella luculente. ep. 21. lib. XIV. ad Att.

## Argumentum ep. 15.

**D**Vabus Paeti epistolis respondet; priori, iure se eius ualetudine perturbatum, cuius & amorem in se, & ingenij festiuitatem plurimi faciat; posteriori, nihil referre, utrum Romae sit, an Neapoli; cum Romae unius nutu regantur

tu regantur omnia: itaque se manere in sententia de domo Neapoli emenda, Caesare tertium, & Lepido cos. confecto Africano bello, antequam Caesar iret in Hispaniam contra Pompeij liberos.

Cicero S. D. Papirio Paeto:

15.

**D**VABVS tuis epistolis respondebo, uni, quam triduo ante acceperam a Zetho; alteri, quam attulerat Phileros tabellarius. Ex prioribus tuis litteris intellexi pergratam tibi esse curam meam valetudinis tuae; quam tibi perspectam esse gaudeo: sed, mihi crede, non perinde, ut est reapse, ex litteris perspicere potuisti. nam cum a satis multis (non enim possum aliter dicere) & coli me uideam, & diligi; nemo est illorum omnium mihi te incundior. nam quod me amas; quod id & iam pridem, & constanter facis; est id quidem magnum, atque haud scio, an maximum, sed tibi commune cum multis: quod tu ipse tam amandus es, tamq. dulcis, tamq. in omni genere incundus, id est proprie tuum. accedunt non Attici, sed salsores, quam illi Atticorum, Romani ueteres, atque urbani sales. ego autem (existimes licet quod lubet) mirifice capior sacetis, maxime nostratibus, praesertim cum eas uideam primum oblitas Latium, cum in urbem nostram est infusa peregrinitas, nunc uero etiam braccatis, & transalpinis nationibus, ut nullum ueteris leporis uestigium appareat. itaque, te cum uideo, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, uere ut dicam, Crassos quoque, & Laelios uidere uideor. moriar, si, praeter te, quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquae, & uernaculae festiuitatis agnoscere. ad hos lepores cum amor erga me tantus accedat, miraris me tanta perturbatione valetudinis tuae tam grauius examinatum fuisse? Quod autem altera epistola purgas te non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanae fuisse,

sed auctorem moderationis urbanae: neque ego aliter accepi: intellexi tamen idem, quod his intelligi litteris non existimasse te, mihi licere, id quod ego arbitrabar, res has non omnino quidem, sed magnam partem relinquere. Catulum mihi narras, & illa tempora: quid simile? ne mihi quidem ipsi tunc placebat diutius abesse ab resp. custodia. sedebamus enim in puppi, clauisq. tenebamus: nunc autem uix est in sentina locus. an minus multa s. c. futura putas, si ego sim Neapoli? Romae cum sum, & urgeo forum; s. c. scribuntur apud amatorem tuum, familiarem meum. & quidem, cum in mentem uenit, ponor ad scribendum: & ante audio s. c. in Armeniam, & Syriam esse perlatum, quod in meam sententiam factum esse dicatur, quam omnino mentionem nullam de eare esse factam. atque hoc nolim me iocari putes. nam mihi scito iam a regibus ultimis allatas esse litteras, quibus mihi gratias agant, quod se mea sententia reges appellauerim: quos ego non modo reges appellatos, sed omnino natos nesciebam. quid ergo est? tamen, quamdiu hic erit noster hic praefectus moribus, parebo auctoritati tuae: cum uero aberit, ad fungos me tuos conferam. domum si habebō; in denos dies, singulos sumptuariarum legis conferam. sin minus inuenero, quod placeat; decreui habitare apud te. scio enim, me nihil gratius tibi facere posse. Domum Sullanam desperabam iam, ut tibi proxime scripsi, sed tamen non abiici. tu, uelim, ut scribis, cum fabris eam perspicias. si enim nihil est in parietibus, aut in tecto uitij; cetera mihi probabuntur. Vale.

## EXPLANATIO

**P**APIRIO Paeto. } Pactum ab oculis leuiter declinatis, Porphyrio in Hor. Sat. 3. deductum ait: Acro, quod eius oculi huc & illuc mouerentur. **PHILEROS** } seruorum nomina, Zethus, & Phileros. **INTELLEXI** pergratam tibi esse curam meam valetudinis tuae: quam tibi perspectam esse gaudeo: } sic unus omnino uetus liber, & recte. reliqui omnes mendose, Intellexi pergratam tibi perceptum esse gaudeo. **REAPSE**, } antique, pro Re ipsa, ut Meapte, Suapte. sic Cicero, Pacuius, Plautus, Africanus minor, Seneca locuti sunt. Festus. **ATQVE** haud scio, an maximum, } & fortasse maximum. ep. superiore: Contigit tibi, quod haud scio an nemini: pro, quod, opinor, nemini: uel, quod fortasse nemini. Dubitatio quaedam est, ita rem amplificans, ut species minuatur assentationis. Pro Flacco: Cuius ego ciuitatis disciplinam, atque grauitatem non solum Graeciae, sed haud scio an cunctis gentibus antependendam putem. **ATTICI**, } qui laudari in primis solent. ep. 31. lib. VII. **NOSTRATIBVS**, } Romanis, non Latinis, aut Gallicis. **OBLITAS** } inquinatas. **LATIO** } ex Latio. **CVM** in urbem nostram est infusa peregrinitas, } cum Latinis data ciuitas est: quorum consuetudo Romanum sermonem infuscauit. Peregrini autem ab initio Latini Romae uocabantur: & lex lata de peregrinis urbis usu prohibendis. & hic Cicero a peregrinis, id est a Latinis, Gallos distinguit, quos braccatas, & transalpinas nationes appellat. **BRACCATIS**, & **transalpinis nationibus**, } Gallia Braccata, quae cis alpes fuit. dicebatur provincia Narbonensis, a genere uestimenti: Comata uero, quae Romanis, ante quam a C. Caesare superaretur, non paruit, dicta a comis alendis. Hic Cicero iocatur, non sine stomacho, in Caesarem, qui Gallis quibusdam, non modo cisalpinis, uerum etiam transalpinis ciuitatem dederat: ex quibus nonnullos etiam in senatum recepit. Suetonius, Ciuitate, ait, donatos, & quosdam et semibarbaris Gallorum, recepit in curiam. Et infra: Illa uulgo canebantur, Gallos Caesar in triumphum ducit. iidem in curia Galli braccas deposuerunt, latum clauum sumptulerunt. **OMNES mihi Granios**, } quicumque Granio similes in dictis fuere. Granus praeco dicax admodum fuit. nominat eum Cicero lib. 2. de Orat. & in Bruto, & in oratione pro Plancio, & Lucilius poeta apud Gellium lib. IV. cap. 17.

Conijcere

Conijcere in uersus dictum praconis uolebam  
 Granij. VERE ut dicam, } hoc interponit, quia transit  
 ad maiorem Paeti laudem. nam Crassus, & Laelius non modo faceti, ut Granius, sed eloquentes etiam fue-  
 re. CRASSOS } L. Crassum, oratorem summum, cuius mortem Cicero deplorat lib. III. de Orat.  
 LAELIOS } C. Laelium, Sapientis cognomine honestatum, Africani minoris amicissimum, cui sermo  
 nis elegantiam Cicero tribuit in Bruto. Miror hic omissum esse Caesarem illum, Catuli fratrem, qui dica-  
 citate, & facetijs omnes uicit: ut lib. 2. de Orat. & lib. I. de Off. VERNACVLAE } domesticae, Ro-  
 manae, non oblitae Latio, aut braccatis & transalpinis nationibus. AVCTOREM } moderationis urba-  
 nae: } quod suaseris, ut neque semper in urbe maneam, neque semper absim. NEQVE ego aliter ac-  
 cepi: } Neque, non disjungit hic, ut alibi; sed fere ualet idem, quod Ne quidem: ut si dixisset, ne ego qui-  
 dem aliter accepi. Simile illud ep. I. lib. VI. Qui neque, cum id faciebamus, tam eramus amantes. Et ep. 4.  
 ad Att. lib. I. Quod scribis, etiam si cuius animus in te esset offensior, a me recolligi oportere: quid dicas?  
 neque id neglexi. ARBITRABAR, } licere mihi arbitrabar, res has si non omnino, saltem ex ma-  
 gna parte relinquere. quod tu mihi non existimas licere. MAGNAM partem } ex magna parte. ep. 9.  
 lib. IX. Soles libenter, ut ego, maiorem partem nihil curare. Caesar lib. IV. de bel. Gal. Magnam partem la-  
 cte uiuunt. Terentius in Eun. & Cicero ipse Acad. 2. & Tusc. 4. CATVLVM } Q. Catulum, eius filium,  
 qui cum C. Mario consul fuit. MIHI narras, } ais Catulum ab reip. custodia numquam discessisse.  
 ILLA tempora: } cum uiueret Catulus. QUID simile? } sic ep. 23. l. VII. Bacchas istas cum musis  
 Metelli comparas: quid simile? SEDEBAMVS in puppi, } remp. gubernabamus ut principes, digni-  
 tate, & auctoritate summa. VIX est in sentina locus. } tantum abest, ut remp. regamus, ut uix ullam  
 eius partem attingere nobis liceat. AN MINVS multa S. C. } abesse mihi licet nullo reip. damno. nō  
 enim, si ego Romae non sim, ideo minus multa S. C. fient. VRGEO forum; } in forum saepe uenio.  
 SCRIBVNTVR apud amatorem tuum, } quae scribi solebant in curia, dictis relata de re sententijs. ita  
 ex uoluntate unius omnia geruntur: senatorum sententiae non rogantur, sed S. C. in seio senatu domi scri-  
 buntur. Amatorem Paeti Caesarem uocat; apud quem auctoritate, & gratia plurimum ualebat Paetus.  
 CVM in mentem uenit, } quasi contemnens Caesar non cogitat, sed, cum in mentem uenit, in S. C. ponit,  
 affuisse me scribendo. AD scribendum: } opinor, scriptum fuisse, ADF. SCRIB. idest, affuisse scri-  
 bendo. de quo more diximus ep. 8. lib. I. IX. VLTIMIS, } qui regnant in finibus imperij Romani.  
 REGES appellauerim: } fingebat Caesar, ut adhuc resp. stare uideretur, S. C. esse factum in sententiam  
 Ciceronis de aliquo rege appellando. ep. 17. lib. 2. QUID ergo est? tamen, } sic Coelius ep. 13. lib. I. IX.  
 PRAEFECTVS moribus, } Caesar, quem senatus moribus in triennium praefecerat. Dio lib. XLIII.  
 PAREBO auctoritati tuae: } faciam, quod suades: ab urbe non discedam. Loci non nihil est in hoc, Pare-  
 bo auctoritati tuae. Sunt enim uerba minoris ad maiorem. FUNGOS } fungi, ut hodie quoque, apud  
 ueteres optime conditi, inter exquisitas epulas habebantur. ep. 10. & lib. VI. ep. 26. DOMVM si habebo; }  
 Neapoli. IN denos dies, } quem sumptum in singulos dies praescribit sumptuaria lex, cum in decem  
 dies distribuam. ita non modo non contra legem, sed etiam intra legem epulabor. Tulit eam legem Cae-  
 sar post bellum Africanum, Dione teste. uide ep. 26. lib. VII. & ep. ult. huius libri. & ep. 7. lib. XIII. ad Att.  
 SIN minus inuenero, quod placeat; } si domum non inuenero, quae placeat. SVLLANAM } in urbe  
 Neapoli. NON abieci. } adhuc spero. ep. I. lib. XIII. Te abieciisse illam aedificationem, constabat  
 inter omnes.

## Argumentum ep. 16.

Ostendit, nihil a se praetermissum, ut Caesarianorum beneuolentiam sibi conciliaret: deinde, neque boni ciuis, neque sapientis hominis officium in se desiderari posse: postremo, ad Papij iocationes respondet. Caesare tertium, & Lepido cos. post bellum Africanum.

Cicero S. D. Papij Paeto. 16.

DELECTAVERUNT me litterae tuae: in quibus primum amavi amorem tuum, qui te ad scribendum incitauit, uerentem, ne Silius suo nuncio aliquid mihi sollicitudinis attulisset. de quo & tu mihi antea scripseras, bis quidem eodem exemplo, facile ut intelligerem te esse commotum: & ego tibi accurate rescripseram, ut, quoquo modo, in tali re, atque tempore aut liberarem te ista cura, aut certe leuarem. sed, quando proximis quoque litteris ostendis, quanta curae tibi sit ea res; sic mi Paete habeto; quidquid arte fieri potuerit, (non enim iam satis est consilio pugnare, artificium quoddam excogitandum est) sed tamen, quidquid elaborari, aut effici potuerit ad istorum beneuolentiam conciliandam, & colligendam, summo studio me consecutum esse, nec frustra, ut arbitror sic enim color, sic obseruor ab omnibus, quae a Caesare diliguntur, ut ab eis me amari putem.

nam,

nam, etsi Non facile dijudicatur amor uerus, & fectus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut, quasi aurum igne, sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspicui possit: cetera sunt signa communia: sed ego uno ut or argumento, quamobrem me ex animo, uereq. arbitrer diligis; quod & nostra fortuna e a est, & illorum, ut simulandi causa non sit. De illo autem, quem penes est omnis potestas, nihil uideo, quod timeam, nisi quod omnia sunt incerta, cum a iure discessum est: nec praestari quidquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alterius uoluntate, ne dicam libidine. sed tamen eius ipsius nulla re a me offensus est animus. est enim adhibita in eare ipsa summa a nobis moderatio. ut enim olim arbitrabar esse meum, libere loqui, cuius opera esset in ciuitate libertas; ic, ea nunc amissa nihil loqui, quod offendat aut illas, aut eorum, qui ab illo diliguntur, uoluntatem. e fugere autem si uelim non nullorum acute, aut facete dictorum offensionem; fama ingenij mihi est abijcienda. quod si id possem, non recusarem. sed tamen ipse Caesar habet peracere iudicium. & ut Seruius, frater tuus, quem literatissimum fuisse iudico, facile diceret, hic uersus Plauti non est, hic est; quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum, & consuetudine legendi: sic audio Caesarem, cu uolumina iam consecerit aTro p̄θευματων, si quid asseratur ad eum pro meo, quod meum non sit, reycere solere. quod eo nunc magis facit, quia uiuunt mecum fere quotidie illius familiares. incidunt autem in sermone uario multa, quae fortasse illis, cum dixi, nec illitterata, nec insulsa esse uideantur. haec ad illum cum reliquis actis perferuntur: ita enim ipse mandauit sic fit, ut, si quid praeterea de me audiat, non audiendum putet. quamobrem Oenomaio tuo nihil utor. etsi posuisti loco uersus Attianos. sed quae est inuidia? aut quid nunc mihi inuideri potest? uerum fac esse omnia. sic uideo philosophis placuisse, ijs, qui mihi soli uidentur uim uirtutis tenere; Nihil esse sapientis praestare, nisi culpam, qua uideo mihi dupliciter carere: & quod ea senserim, quae rectissima fuerunt: & quod, cum uiderem praesidij non satis esse ad ea obtinenda, uiribus certandum cum ualentioribus non putarim. ergo in officio boni cuius certe non sum reprehendendus. reliquum est, ne quid st ultre, ne quid temere dicam, faciam ue contra potentes. id quoque puto esse sapientis. cetera uero, quid quisque me dixisse dicat, aut quo modo ille accipiat, aut

qua fide mecum uiuant ij, qui me assidue colunt, & obseruant, praestare non possum. ita fit, ut & superiorum consiliorum conscientia, & praesentis temporis moderatione me consolet; & illam Attij similitudinem non modo iam ad inuidiam, sed ad fortunam transferam; quam existimo, leuem, & imbecillam, ab animo firmo, et graui, tamquam fluctum a saxo, frangi oportere. etenim, cum plena sint monumenta Graecorum, quemadmodum sapientissimi uiri regna tulerint uel Athenis, uel Syracusis, cum, seruientibus suis ciuitatibus, fuerint ipsi quodam modo liberi: ego me non putem tueri meum statum sic posse, ut neque offendam animum cuiusquam, nec frangam dignitatem meam? Nunc uenio ad iocationes tuas. quando tu, secundum Oenomaum Attij, non, ut olim solebat, Atellanum, sed, ut nunc fit, mimum introduxisti. quem tu mihi populum, quem denarium narraui quam tyrotarichi patinam? facilitate mea ista fer ebantur antea: nunc mutata res est. Hirtium ego, & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cenandi magistrōs. puto enim enim te audisse, si forte ad uos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud illos cenitare. Tu autem quod mihi bonam copiam eiuers, nihil est. tum enim, cum rem habebas, quaestibus te faciebam attenti orem: nunc, cum tam aequo animo bona perdas, non eo sis consilio, ut, cum me hospitio recipias, aestimationem te aliquam putes accipere. etiam haec lenior est plaga ab amico, quam a debitore. Nec tamen eas cenas quaero, ut magnae reliquiae fiant. quod erit, magnificum sit, & lautum. memini te mihi Phameae cenam narrare. temperius fiat: cetera eodem modo. quod si perseueras me ad matris tuae cenam uocare; seram id quoque. uolo enim uidere animum, qui mihi audeat ista, quae scribis, apponere, aut etiam polypum Miniani Iouis similem. credo mihi, non audebis. ante meum aduentum fama ad te de mea noua lautitia uenire: eam extimesces. neque est, quod in promulsidae spei ponas aliquid: quam rotam sustuli. solebam enim antea de electari oleis, & lucanicis tuis. Sed quid haec loquimur? liceat modo isto uenire. tu uero (uolo enim abstergere animi tui metum) ad tyrotarichum antiquum redi. ego tibi unum sumptum asseram, quod balneum calfacias oportebit, cetera more nostra. superiora illa lusimus. De ulla Seliciana & curastii diligenter, & scripsisti facetissime: itaque puto me praetermissurum. salis enim satis est, sannionum parum. Vale.

## EXPLANATIO

**S**VO. NVNCIO} uidetur nunciasse, ut ex epistola colligitur, Caesarem salibus. Ciceronis esse of-  
fensum. AB. IIS, quia Caesare diliguntur, } ep. 12. lib. VI. AMARI. PVTEM, } coli  
enim, & obseruari aliquis potest, nec tamen amari. VT, quasi aurum igne, sic beneuolentia fidelis peri-  
culo aliquo perspicui possit: } sumptum fortasse ex Isoeratis oratione (scriptam ab Isocrate Apolloniate,  
Harpocration putat) ad Demonicum, in qua sic est: Το πέντε χρυσίον εἶναι τοῦ ποιοῦ δόσιμα? οὐκ εἶναι, τὰ δὲ φιλία  
εἶναι ταῦτα, ἀποχρυσίου διακρίσει μὲν. SIGNA communia: } tam eorum, qui uere amant, quam qui ficti.  
**S**ED. EGO? ratio Latini sermonis, Tamen, postulabat: uerum Cicero, sententiam spectans potius  
quam uerba, Sed, pro Tamen, intulit. NOSTRA fortuna } humilis, & abiecta: itaque non est, cui  
quisquam, qui uere non amet, amare se simulet. ILLORVM, } florentissima: cum sit penes Caesarem  
potestas omnis. PRAESTARI } ut certum affirmari. NE dicam libidine. } uoluntas enim iusta  
potest esse, libido non potest. CUIVS opera } ob Catilinae coniurationem oppressam. ACUTE  
aut facere } quaedam enim acuta, nec tamen facete: & facetum latius patet, quam acutum. OFFEN-  
SIONEM; } non, laesionem; (nam subiunget, nihil se loqui, quod offendat aut Caesaris, aut eorum,  
qui ab illo diliguntur, uoluntatem) sed, non nulla dicta, in quae, uel sine industria, offendo, & incur-  
ro. Hoc

ro. Hoc uerbum est in antiquis libris omnibus, quibus nunc utor; & erat in ijs, quibus utebar olim adulescens: quod ideo testatum uolui, quia nonnulli de hoc loco ita scripserant: Nulli ueteres codices Offensionem, habent. postea, mendosum hic esse librum illum, quem reliquis omnibus praefere non dubitant, iidem confessi sunt. omnino ualde mirabar, cur illud uerbum, quod ego in cunctis ueteribus libris uidebam, ipsi in nullis esse affirmarent. satis igitur liquet, quod saepe dixi, non unum, aut paucos ueteres libros, sed multos inspiciendos esse, si restituere antiquitatem cupimus. interdum enim, ubi libri ante multa saecula descripti, mendis inquinati sunt, recentiores uacare uitio animaduerti itaque uetustiores quidem diligentius inquirere, nullum tamen contemnere debemus. **FAMA ingenij mihi est abicienda.** } quam abicere non possum; itaque nec effugere acute, aut facete dictorum offensionem. **SI. ID possem.** } effugere offensionem supra dictam. **TRITAS** } admodum exercitatas. **NOTANDIS** } diligentibus obseruandis. **ET consuetudine legendi.** } cum assidue quoque poetas legeret. **IAM confecerit** } puer cum esset. Suetonius. **Απορρηγμάτων,** } false dictorum a multis. Hunc librum, **Dicta collectanea**, Suetonius uocat. **ACTIS** } Et publica, & priuata erant acta: publica, ut edicta, S. C. leges: priuata, quidquid priuatim ageretur. Phil. 2. In publicis actis nihil est lege grauius: in priuatis firmissimum est testamentum. Ep. 28. lib. x. Quod nisi res urbanas, actaq. omnia ad te perferri arbitrarer; ipse perscriberem. Et ep. 15. lib. 2. In actis non erat. Hic autem priuata significantur acta. **OENOMAO. ΤΥΟ** } Attij traegodia, cuius testimonio utuntur Festus, & Nonius. **NIHIL. VTOR.** } uersus ex Oenomaio traegodia a Papirio recitati, uitandam inuidiam, admonebant. **POSVISTI. LOCO** } opportune eorum exemplum attulisti. **Loco**, aut **In loco** dicere aliquid, aut facere, sumitur pro, ubi tempus postulat, non alieno tempore, cum oportet. ep. 16. lib. xi. Epistolae offendunt non loco redditae. Lib. iii. de Leg. Senatori tria iussa sunt: ut adsit; nam grauitatem res habet, cum frequens ordo est: ut loco dicat, id est rogatus: ut modo, ne sit infinitus. Et in Partit. **Loco** tu quidem quaeris. **Loco** igitur Paetus, cum de uitanda ageret inuidia, uersus Attianos posuit. **FAC. ESSE. OMNIA.** } Esto, ut inuideatur mihi, licet inuidendi causa nulla sit. **IIS,** } non omnibus, Stoicis, Academicis, Peripateticis. **VIM uirtutis tenere;** } intelligere, in quo sita sit uirtus. **NIHIL esse sapientis praestare, nisi culpam.** } hoc unum sapientis esse, culpam uitare: quod potest: cetera cum praestare non posse: quae si eueniant, reprehendi eum non debere. uide infra. **AD. EA** } quae rectissima fuere. **CVM ualentioribus** } cum Caesare. ep. 7. lib. iv. ep. 1. & 6. lib. vi. ep. 1. lib. vii. **ID quoque puto esse sapientis.** } quia supra dixerat, Nihil esse sapientis praestare, nisi culpam: ne uideatur in una tantum re sapientis officium posuisse, subiunxit, Id quoque puto esse sapientis, sed illud e sententia Stoicorum dixit, qui de uitanda culpa tantum laborabat, cetera contemnebant omnia: hoc ex opinione sua, qui non modo culpam uitare, sed tueri etiam salutem uult. itaque supra. **Quidquid, ait, arte effici potuerit &c. PRAESTARE non possum.** } aliorum uoluntatem, & fidem praestare non possum: culpam quidem praestabo: quod unum sapientis esse, Stoicis placuit: etiam illud, quod praeterea sapientis esse mihi uidetur, ne quid stulte, ne quid temere dicam, facia ue contra potentes. **ET. ILLAM Atty similitudine non modo iam ad inuidiam, sed ad fortuna transferam:** } similitudinem appellat uersus Attianos, in quibus imago quaedam cernebatur suae seruitutis: & quoniam ijs uersibus praecipiebatur, uitandam esse inuidiam, praesertim ijs, qui laedi facili possent; quo in numero, post Caesaris uictoriam, Cicero fuit; propterea non sibi inuidiam potius, quam fortunam, timendam significat: quam tamen ipsam fortiter sustineri oportere, & ita frangi ab animo firmo, & graui, ut fluctus frangitur a saxo. in quo imitabor, inquit, eos, qui uel Athenis, uel Syraculis, ita tyrannidem tulerunt, ut, seruentibus suis ciuitatibus, fuerint ipsi quodam modo liberi. **LEUEM, & imbecillam, ab animo firmo. & graui,** } antitheta, leue, & graue; imbecillum, & firmum: quibus admodum ornatur oratio. **SAPIENTISSIMI uiri** } Athenis Socrates, cum triginta tyranni, a Lacedaemonijs impositi, dominarentur, Syraculis Plato, atque etiam Aristippus, regnante maiore Dionysio. Laertius, & alij. **QUODAM modo** } non omnino, sed quodam modo. non enim, ubi e sua libidine unus omnia moderatur, ibi perfecta libertas esse potest. erant igitur illi uiri quodam modo liberi, quia quaedam patienter ferrent, quaedam autem, quae dominantibus placerent, ipsi facere nollent, aut dicere. **OFFENDAM** } supra bis idem dixit, primum his uerbis: **Vt olim arbitrabar esse meum, libere loqui, cuius opera esset in ciuitate libertas:** sic, ea nunc amissa, nihil loqui, quod offendat aut illius, aut eorum, qui ab illo diliguntur, uoluntatem. Deinde sic: **Reliquum est, ne quid stulte, ne quid temere dicam, faciam ue contra potentes. DIGNITATEM** } quae frangitur demissione animi, assentatione, mutatione sententiarum, denique rebus omnibus indecore factis. **SECUNDVM Oenomaum** } post Oenomaum. ep. 12. lib. iv. **NON, ut olim solebat, Atellanum, sed, ut nunc fit, mimum introduxisti.** } Papirius in epistola sua, post eos uersus, quos ex Attij Oenomaio recitauerat, in Ciceronem irriserat, non modeste, ut solebant olim Atellanarum actores, sed liberius, ut actores mimorum. multis modis enim fabula mimus ab Atellana differebat: quod parum modeste dicax; quippe quae dicta sit, ut ait Donatus in Terentij uita, ab imitatione diuturna uilium rerum, & leuium personarum: itaque Macrobius lib. iii. Sat. mimis lasciuiam tribuit: quod Romana lingua, non Oesca, ut Atellana: quod ab uno tantum agebatur: quod exodijs carebat; neque enim in quinque actus, ut Atellana, & reliquae fabulae, quibus actibus inferebantur ad animos recreandos exodia, diuidebatur, sed perpetuam actionem habebat: postremo, ut arbitror, quod neque adhibito tibicine, neque cantu, neque cum corporis motu, ut reliquae fabulae, agebatur. hinc Laberij, hinc Publij mimi; e quibus argutissimos, & pulcherrimos uersus recitant Macrobius, Nonius, & alij. apud Graecos autem Sophron, & Xenarchus, quos lib. 1. Poet. nominat Aristoteles, mimos conscripsere: & ab ijs, nisi me opinio fallit, imitatione ali-

qua, ut a Graecis Latinae comoediae, item fluxit Latinus mimus. Atellanae uero fabulae iocis quidem & ipsae, sed aliquanto modestioribus, compositae erant, & ut ait Donatus, in se non habebant nisi uetustam elegantiam: id est, ut ego interpretor, minus dicaces erant, quam mimi. Propterea Valerius Max. lib. 2. cap. 1. genus hoc delectationis Italica seueritate temperatum, ideoq. nota uacuum, & ab Oscis accitum esse dicit. Liuius autem, a quo sumpsit Valerius, haec prodidit lib. VI. Postquam ludus in artem paulatim uertitur; iuuentus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula, intexta uersibus, iactitare coepit: quae exodia postea appellata, confertaq. fabellis potissimum Atellanis sunt. quod genus ludorum, ab Oscis acceptum, tenuit iuuentus, nec ab histrionibus pollui passa est. eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moueantur, & stipendia, tamquam expertes artis ludicrae, faciant. Quod igitur elegantiam in Atellanis Donatus esse dixit: non ad sermonis genus, quod rude & impositum fuisse duco, qualis erat Oscoꝝ lingua, a quibus Atellanae acceptae, sed ad sententiarum munditiam refero, iuuentandam auribus nobilium uirorum, sicuti mimorum lasciuia decacitate inferiorum ordinum homines delectabantur magis. Praeterea sermone Osco, non Romano, Atellana componebatur: a pluribus, non ab uno tantum, agebatur: habebat exodia, ut ostendit Liuius; ex quo patet, in actus distributam fuisse, postremo cum tibicine, cantu, motu corporis agebatur: quod ex eodem Liuius licet intelligere. Praeterea haec, quae mimum ab Atellana distinguiebant, addam id, quod mihi nunc in mentem uenit, ciues Romanos ingenuos. Atellanas tantum agere solitos esse, quia genus illud nota uacuum fuit, reliquas fabulas, & in iis mimum, a seruis, aut libertis, aut a peregrinis actas esse: quis enim ciuis Romanus, praefertim ingenuus, ludicram artem exercere uellet, cum sciret se tribu motum iri, nec stipendia deinde posse facere? At D. Laberius, non modo ciuis ingenuus, sed etiam eques Romanus, mimum suum egit. Excusatur necessitate: Caesar enim iussit, qui cogere poterat, in quo sibi factam esse iniuriam, queritur ipse uersibus egregijs apud Macrobiū lib. III. Recte igitur mimum, non Atellanum, id est Atellanae fabulae histrionem, Paetus induxisse dicitur; quia dictis acutiore, quam quae inseri olim Atellanis solita fuerant, in Ciceronem iocatur. **VT . OLIM** } nondum inuenta mimo fabula, in qua mores alicuius, ut auaritia, libido, superbia, describebantur. **HIRTIVM** } qui saepe audijt Ciceronem in Rhetoricis. nam in proemio libri de Fato, Mihi, ait Hirtius, rhetorica nostra sunt nota; teq. in his & audiuius saepe, & audiemus. **DOLABELLAM** } ep. 7. & lib. VII. ep. ult. **DECLAMITARE**, } in quo acquisissimis Ciceronis auribus utebantur: ep. ult. lib. VII. **ILLOS apud me declamitare, me apud illos cenitare.** } ne quis hunc locum ex ingenio suppletum arbitretur; moneo lectorem, hoc totum esse in duobus antiquis libris; cum quibus olim con sensisse memini librum Vincentij Ricci; idq. mea Scholia ante multos annos edita, testantur. **T V . AYTEM quod mihi bonam copiam eiures, nihil est.** } Hieronymus Ferrarius, contra ueteres omnes libros, legendum arbitrabatur, Bonam copiam iures, hoc sensu: non est, quod te mihi semper praefecto fore, tuiq. bonam copiam facturum iures. ut rex spexerit ad id, quod M. Varro scribit lib. VI. de lingua Lat. Debitores non nulli pro pecunia, quam debebant, operas in seruitutem dabant, dum soluerent. C. Popillio rogante, Vi solo dictatore, sublatis: & omnes, qui bonam copiam iurarent, ne essent nexi, dissoluti, id est qui sui facultate creditoribus semper esse facturos, iureiurando promitterent. Ego autem puto hic dictum esse, Quod mihi bonam copiam eiures, pro, quod iures mihi, te non habere unde sumptum facias. Tantumq. abest, ut ex Varrone Ciceronis locum emendem, ut potius ex Cicerone Varronis locum putem esse corrigendum: ut legatur, Voluitque, ut ij bonam copiam eiurarent: id est, ut iurarent, se non habere, unde creditoribus satisfacerent. Mecum faciunt, ut dixi, ueteres libri omnes, praeterea Sex. Pompeius; qui nostram sententiam ita confirmat, ut dubitatio prorsus nulla relinquatur. Eiuratio, inquit, significat, id, quod desideretur, non posse praestari. Et Cicero lib. 2. de Orat. Eicero, iniquus est. Et in Verrem: Praetor provinciam suam totam sibi iniquam eiurat. Et Phil. 12. Me iniquum eiurabant Plautus quoque: Eiurauit militiam. Tacitus lib. 12. Adactus Syllanus eiurare magistratum. Et lib. XIV. Regulus in locum Caecinae, cui dies unus supererat, consulatum inijt, eiurauitq. **NIHIL EST.** } nihil opus est. damnum ne timeas, cum me hospitio recipies. **CVM rem habebas,** } integra tibi re domestica, ante aestimationem a Caesare decretam. **QVAESTICVLIS** } Lucellis dandi casu potius, quam auferendi, opinor dictum: ut sit, Attentioꝝ, uel ad minus quaeustus. Sic Terentius in Adel. Attentioꝝ sumus ad rem omnes, quam sat est. Attentio enim dicitur, qui parcus est, & diligens in re uel augenda, uel conseruanda. Pro Quinctio: Pater familias prudens, & attentus. Horatius ep. 7. lib. I. Durus ait, Vultei, nimis, attentusq. uideris. **TAM aequo animo** } iocatur: quis enim aequo animo bona perdit? ep. 18. Video te bona perdidisse. **AESTIMATIONEM ut aliquam putes accipere.** } Alludit ad aestimationem possessionum, quam Caesar per arbitros debitorum causa fieri uoluerat, ut ij creditoribus facilius satisfacerent. Qua de re initio lib. III. de bel. ci. his uerbis: Cui fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae soluerentur, constituit, ut arbitri darentur; per eos fierent aestimationes possessionum, & rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuissent; atque eae creditoribus traderentur. Hoc & ad timorem nouarum tabularum tollendum, minuendum ue, qui fere bella, & ciuiles dissensionem sequi consueuit, & ad debitorum tuendam existimationem esse aptissimum existimauit. Suetonius etiam in Caesare, De pecunijs, inquit, mutuis, disiecta nouarum tabularum expectatione, quae crebro mouebatur, decreuit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum, quanti quisque ante ciuile bellum comparassent, deducta summa aeris alieni, si quid usurae nomine numeratum, aut perscriptum fuisset. qua condicione quarta pars fere debiti deperibat. Cum igitur Pa prius ex eo Caesaris decreto magnam a debitoribus plagam accepisset, aestimatis eorum possessionibus, non quanti essent, eo tempore, sed quanti ante ciuile bellum fuissent; iocans, ut solet, Cicero, Ne credas, inquit,

inquit, cum me hospitio recipias, aestimationem te aliquam accepturum. Et dixit, Aestimationem aliquam, tamquam si, magnum aliquod damnum, dixisset. Papirius enim aestimationes, id est praedia per arbitros aestimata, a debitoribus accipiens, crediti iacturam non minimam fecerat; cum quarta fere pars debiti, ut dixit Suetonius, deperiret. Deinde sequitur: Etiam haec leuior est plaga ab amico, quam a debitore: hoc est: & tamen, quod ab amico bona tua comedantur, non id tibi acque graue esse debet, atque illud est, quod debitorum causa deperdis: a quibus possessiones, quanti uendere nunquam poteris, accipiendae tibi sunt. Eaedem aestimationes infra nominantur ep. 18. **NEC. TAMEN eas cenas quaero,** hoc refertur ad proxima superiora uerba, Etiam haec leuior est plaga ab amico. **MAGNIFICVM sit, & lautum.** Magnificum, genere, ut pauones, attagenes, aues Phasianae, accipenseris, mustelae, afelli: Lautum, arte coci, & apparatus elegantia. **PHAMEAE** qui fuit auus Tigellij tibicinis. ep. 24. lib. VII. **TEMPERIVS** maturius. refero enim ad tempus, non ad frugalitatem. hoc uerbum alibi semel dumtaxat, quod equidem legendo obseruauerim, usurpatum inuenio. Sic autem locutum esse Cornelium Nepotem, Ciceronis aequalem, ex Donati uerbis, quae sunt in Terentij uita, facile possum conijcere. Nepos, inquit, auctore certo comperisse se ait, C. Laelium quondam in Puteolano Kalendis Mart. admonitum ab uxore, temperius ut discumberet, petiisse ab ea, ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium dixisse, non saepe in scribendo magis successisse sibi: deinde rogatum, ut scripta illa proferret, pronunciaisse uersus, qui sunt in Heautontimorumenos: Satis, pol, proterue me Syri promissa huc induxerunt.

Ouidius, & Columella, Temporius, dixere: quod recentius uidetur, deductum a tempus Temporis: Temperius autem, antiquum, a Tempus temperis: quemadmodum dixere ueteres, Pignus Pigneris, unde Pignero uerbum: posterioris autem, Pignus pignoris. Plautus in Per. Temperi hanc uigilare oportet formulam, atque aetatum. Et infra: Cedo partem, quam pepigi. To, temperi. Et in Rud. Qui sua uult temperi conficere negotia. **AD. MATRIS tuae cenam** ut accipias me frugali cena, qualem dare solebat mater tua. **FERAM. ID quoque.** non illud modo, quod mihi bonam copiam eiuras, uerum hoc etiam feram, tenui cena me accipi. **I STA,** uilissima edulia. **POLYPVM** piscem, ita uocatum, a multitudine pedum, non magni pretij. Plinius lib. IX. cap. 29. **MINIANI iouis similem.** rubentem, non sua sponte, (nam Polypus ruber non est) sed iure tinctum. Iouis simulacri facie in Capitolio illini minio solitam, ait Plinius lib. XXXIII. cap. 7. & lib. XXXV. cap. 12. inde Miniano cognomen. **NON audebis.** quia putabis lautius aliquid me uelle. **PROMVLSEDE** potione ex mulso. ep. 20. **TOTAM sustuli.** prorsus reijcere soleo. **DELECTARI** sic in quinque libris antiquis, & duobus praeterea Caroli Sigonij: nonnulli, **Debitari:** unus, **Delibari:** quasi leuiter pasci: a Delibo. **LVCANICIS** notum genus suilli farciminis, a Lucanis populis inuentum. **I STO** Neapolim, ubi tu es. **DE. VILLA Selicianae** domum Sullanam in urbe Neapoli, (ep. 15.) uillam Selicianam in agro Cicero emere cogitabat. **CVRASTI** ut eam totam nosse, deinde ad me scriberes. **PRAETERMISSVRVM:** non empturum. **SALIS enim satis est, sannionum parum.** Papirij uerba, uel certe sententiam ponit, qui dixerat, Villam Selicianam, in litore positam, salinas habere: deinde subiunxerat: sale quidem abundamus, sed, quod sale condiaur, non habemus. ut facetias non deesse, sed ridendi materiam, significaret: quia ridendi causas aduersa reip. tempora eriperent. Sal pro facetijs accipi solitum, quis ignorat? Afranius in Cópitalibus: Quidquid loquitur, merum est. Sannio autem is est, qui ridetur. Plerique ueteres libri, Sannionum: duo, Sannionum, quos probaui.

## Argumentum ep. 17.

**M**Anauerat rumor, uelle Caesarem suis militibus municipia quaedam, Magrosq. diuidere. ea diuisio, ueritus erat Paetus, ne ad suos agros perueniret. id quaerenti Cicero respondet. Eodem anno, post bellum Africanum.

Cicero S. D. Papirio Paeto. 17.

**N**ON tu homo ridiculus es, qui, cum Balbus noster apud te fuerit, ex me quaeras; quid de istis municipijs, & agris futurum putem? quasi aut ego quidquam sciam, quod iste nesciat; aut, si quid aliquando scio, non ex isto soleam scire. immo uero, si me amas, tu fac, ut sciam, quid de nobis futurum sit. habuisti enim in tua potestate, ex quo uel ex sobrio, uel certe ex ebrio scire posses. sed ego ista, mi Paete, non quaero, primum quia de lucro prope iam quadriennium uiuimus; si aut hoc lucrum est, aut haec uita, superstitem reip. uiuere: deinde,

quod scire quoque mihi uideor, quid futurum sit. fiet enim, quodcumque uolent, qui ualebunt: ualebunt autem semper arma. nobis igitur satis esse debet, quidquid conceditur. hoc si quis pati non potuit, mori debuit. **Veientem** quidem agrum, & Capenam metiuntur. hic non longe abest a Tusculano. nihil tamen timeo: fruor, dum licet: opto, ut semper liceat. si id minus contigerit: tamen, quando ego, uir fortis, idemq. philosophus, uiuere pulcherrimum duxi, non possum eum non diligere, cuius beneficio id consecutus sum. qui si cupiat esse reip.

Ddd 2 qualem

qualem fortasse & ille uult, & omnes optare debemus: quid faciat, tamen non habet: ita se cum multis colligauit. Sed longius progredior: scribo enim ad te, hoc tamen scito, non modo me, qui consilii non intersum, sed ne ipsum quidem principem scire quid futurum sit, nos enim illi seruimus; ipse temporibus: ita nec ille, quid tempora postulantur a sint, nec nos, quid ille cogitet, scire possumus. Haec tibi antea non rescripsi, non quo cessator esse

solerem, praesertim in litteris: sed, cum explorati nihil haberem, nec tibi sollicitudinem ex dubitatione mea, nec spem ex affirmatione asferre uolui. Illud tamen adscribam, quod est uerissimum, me his temporibus adhuc de isto periculo nihil audisse. tu tamen pro tua sapientia debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quaecumque erunt. Vale.

## EXPLANATIO

**PALBUS?** L. Cornelius Balbus Gaditanus, intimus Caesaris amicus. **ISTIS?** Neapoli, & Palijs. nam Neapoli uidetur fuisse Paetus hoc tempore. ep. 15. **MUNICIPIIIS,** & agris } numquid fore putem, ut municipiorum agri diuidantur. **NOBIS?** non de agris, sed de nobis ipsis, de communi salute. **DE LUCRO?** quia mori debuimus anno primo ciuili belli, nec superstitum esse reip. Infra: Quando ego, uir fortis, idemq. philosophus, uiuere pulcherrimum duxi. **PROPE IAM quadriennium?** Prope dixit, quia nondum integer praeterierat ciuili belli quartus annus. nam haec epistola scripta est Caesare tertium & Lepido cos. bellum ante biennium Marcello & Lentulo cos. geri coepit. **QUID futurum sit?** quod cum sciam, cur ista quaeram, quae ne fiant, prohibere non possum? **VALEBUNT autem?** similis illa repetitio ep. 5. lib. VI. Video autem fere quotidie. **MORI DEBVI.** uel in acie, ut multi, uel, post Caesaris uictoriam, ut Cato, & Pompeij focer Scipio. **QUANDO?** sic libri septem ueteres: duo. Quoniam: unus, Cum. **VIR fortis, idemq. philosophus,** sic omnes, quos ego uiderim, antiqui libri. & est peruenusta sententia. Cum, inquit, & uiri fortes ex animi quadam praestantia, & philosophi ex doctrina, patriam, honestatem, libertatem uitae anteposant; ego tamen, qui utrumque profiteor, & aium fortem, & philosophum, uiuere pulcherrimum duxi. Idem locutus est ep. 2. Caninius idem tuus, & idem noster. Et lib. 2. de Diuin. Marcellus, idem imperator, idem augur optimus. Cum igitur & ueterum librorum testimonium, & sententiam ipsam, & consuetudinem loquendi sequar; dissentire cogor ab ijs, qui non, Idemq. sed, Idem quod, legere maluerunt. numquam enim, quoad quidem per me liceat, studiosum lectorem fraudari ueritate patiar. **CVIUS BENEFICIO id consecutus sum.** supra: De lucro prope iam quadriennium uiuimus. **QUALEM?** nullam esse, iam ostendit in eo, Superstitum reip. uiuere. **ILLE. VULT,** ep. 4. lib. IV. De reliquis, nihil melius ipso est. **ITA se cum multis colligauit.** eadem ratione Caesarem excusat ep. 9. lib. IV. Multa uictori eorum arbitrio, per quos uicit, facienda sunt. **AD. TE.** cui haec nota sunt. **NON modo me,** qui legendum opinabantur, Non modo non me, sine causa discedebant ab omnibus antiquis libris. uide, quae diximus in locum illum ep. 9. lib. I. Non modo praemijs, sed ne periculis quidem compulsus ullis. **DE isto periculo?** de agris diuidendis. **FERRE?** ergo, ut in argumento diximus, timebat suis agris Paetus, quamquam apud Caesarem gratus, ut ep. 15. & 25.

## Argumentum ep. 18.

**EX**ponit, quibus causis adductus familiares suos, quasi aperto ludo, in eloquentia coeperit exercere. Addit non nulla per iocum de cenarum lautitia. Eodem anno, reuertente ex Africa Caesare: quod ipsa indicat epistola: itaque superioribus praeponi debuit, quae, reuerso iam in urbem Caesare, conscriptae uidentur.

Cicero S. D. Papirio Paeto. 18.

**C**VM essem otiosus in Tusculano, propterea quod discipulos obuiam miseram, ut uiderem me quam maxime conciliarent familiari suo; accepi tuas litteras plenissimas suauitatis: ex quibus intellexi, probari tibi meum consilium, quod, ut Dionysius tyrannus, cum Syracusis expulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse; sic ego, sublatis iudicijs, amisso regno forensi, ludum quasi habere coeperim. quid quaeris? me quoque delectat consilium. multa enim consequor, primum, id quod maxime

nunc opus est, munio me ad haec tempora. id cuiusmodi sit, nescio: tantum uideo, nullius adhuc consilia me huic anteposere. nisi forte mori melius fuit, in lectulo, fator sed non accidit. in acie non fui. ceteri quidem, Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius foede perierunt: ac Cato praeclare iam quidem, cum uolemus, licet; demum modo operam, ne tam necesse nobis sit, quam illi fuit: id quod agimus, ergo hoc primum. sequitur illud: ipse melior primum ualitudine; quam, intermissis exercitationibus,

amiseram

amiseram: deinde ipsa illa, si qua fuit in me, facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulisset, exaruisset. Extremum illud est, quod tu nescio an primum potes. plures iam pavones confeci, quam tu pullos columbinos. tu istic te Ateriano iure dele. Tato, ego me hic Hirtiano. uenitigitur, si uir es, & disce προλεγόμενας, quas quaeris. et si sus Mineruam. sed quando, ut uideo, aestimationes tuas uendere non potes, neque ollam dena-

riorum implere: Romam tibi remigrandum est. satius est hic cruditate, quā istic fame, uideo te bona perdidisse: spero idē istuc familiares tuos. actum igitur de te est, nisi pro uides. potes mulo isto, quem tibi reliquum dicis esse, quando cantherium comedisti, Romam peruehi. sella tibi erit in lud, tamquam hypodidascalo, proxima: eam puluinus sequetur. Vale.

## EXPLANATIO

**O**TIO SVS? nam, cum discipuli aderant, & dicebat ipse, & declamantes audiebat. ep. 7. & 16. & lib. VII. ep. ult. & Quintilianus lib. 12. cap. XI. **DISCIPVLOS?** Hirtium, & Dolabellam. ep. ult. **OBVTAM?** Caesari, ex Africa redeunti. **DIONYSIVS?** minor, qui, post patrem, Syraculis regnavit. Iustinus lib. xxxi. **LVDVM?** pueros docebat in truijs: ut imaginem regni aliquam, pueris imperando, conseruaret. **REGNO forensi,** cum in causis ob singularem eloquentiam regnare uideretur. **QVID quaeris??** idem ualet. Noli quaerere. ep. 4. lib. iv. **MVNIO** me ad haec tempora. munio me Caesari familiarium amicitia, Hirtij, Dolabellae, & aliorum. **CVIVSMODI sit,** quam firmum sit. **IN acie non fui.** Dyrrhachij fuit, cum in Pharsalia dimicatum est. lib. 1. de Diuin. **POMPEIVS,** Magnus, iussu Ptolemaei Aegyptij regis interfectus. nota historia. **LENTVLVS?** L. Lentulus, qui consul fuit anno primo belli ciuilibus, eiusdem regis iussu in custodia necatus. Caesar lib. III. de bel. ci. **SCIPIO,** Pompeij focer: de quo in libro de bello Africano, quem ab Hirtio, uel Oppio scriptum non nulli existimant, haec leguntur: Scipio cum Damasippo, & Torquato, & Plactorio Caestiano nauibus longis diu multumq. iactati, cum Hispaniam peterent, ad Hypponem Regium deferuntur, ubi classis P. Sittij per id tempus erat: a qua pauciora ab amplioribus circumuenta nauigia deprimuntur: ibiq. Scipio interijt. Et Epitome L. i. lib. 114. P. Scipio, in naue circumuentus, honestae morti uocem quoque adiecit: quaerentibus enim hostibus imperatorem, dixit: Imperator bene se habet. Eadem fere Dio lib. XLIII. Ita uidetur Scipio non foede, ut Pompeius, Lentulus, Afranius, sed praecclare, ut Cato, perijsse: cum se ipse interfecerit. quod Cicero fortasse non credidit, ideoq. coniunxit eum cum ijs, qui foede interierant. **AFRANIVS?** L. Afranius, consularis, qui a P. Sittio cum Fau- sto, L. Sullae filio, captus, dissensione mox in exercitu orta, cum eodem Fau- sto necatus est: ut in eodem libro de bello Africano, & in eadem Epitome, & apud Suetonium, & Dionem. **CATO?** qui sibi Viticae, ne in Caesaris uictoris potestatem ueniret, manus intulit: unde Viticensis uocatus. Plutarchus, & omnes historiae. **PRAECLARE.** quia seruire noluit, honestamq. turpi uitae mortem anteposuit, e Stoicorum sententia, quod M. Brutus, sororis eius filius, edito in eum libro, cum reprehendisset, postea, mutato consilio, uoluntariam sibi mortem proelio uictus in Pharsalia consciiuit. Plutarchus. **QVAM ILLI. FUIT:** necesse id Catoni fuit, quia Caesarem, uetere odio incensum, timere potuit. nos da- mus operam, ut eius nobis animum reconcilemus: itaque cum eius familiarissimis coniunctissime uiui- mus. Paulo ante: Id quod maxime opus est, munio me ad haec tempora. **CONFECI,** consumpsi: ut ignes conficiunt siluas, apud Lucretium lib. 1. Confecit autem apud Hirtium, & Dolabellam, non do- mi suae. uide ep. 16. 20. **ISTIC?** Neapoli. **ATERIANO. IURE?** uidetur Paetus cum Aterio quodam cenitasse. **HIRTIANO.** ep. 16. 20. **SI. VIR. ES,** modus hortandi. Simi- le illud ep. 2. lib. 2. ad Att. Herodes, si homo esset, eum potius legeret, quam unam litteram scriberet. **DISCE προλεγόμενας, quas quaeris,** sic omnes libri ueteres, excepto Graeco uerbo, quod in uno tantum est. Disce, inquit, e cenis Hirtianis, quales tuae futurae sint. Προλεγόμενας uocat, quia, sicut ε'x ε'δ προλεγόμενων, quae praeponuntur libris, docemur ea, quae ad ipsos libros attinent, sic Hirtij cenae Papirium, quae cenas dare deberet, admonere, & erudire possent. **SUS. MINERVAM.** usurpa- tur hoc adagium in eos, qui, cuius rei scientia carent, in ea peritissimos conantur erudire. **QVANDO,** sic tres antiqui libri: alij uel, Quoniam, uel, Quomodo. **AESTIMATIONES tuas** ea, quae per aestimationem a debitoribus accepisti. ep. 16. **OLLAM denariorum** fortasse scripserat Paetus, tunc uelle se, cum ollam denariorum, aestimationibus uenditis, impleuisset, Romam redire. **BONA. PER- DIDISSE:** ep. 16. **FAMILIARES tuos.** apud quos cenare solitus es. **CANTHE- RIVM?** castratum equum. **IN. LUDO,** meo. Supra: Quasi ludum habere coeperim. sed hic de ludo urbano loquitur: quia dixit proxime, Romam peruehi. ep. 20. **HYPODIDASCALO,** ei, qui subdoceat. **PROXIMA:** meae. nam se quasi ludum habere coepisse, iam dixit. **EAM. PVLVI- NVS sequetur.** ut in sella commodius fedear. non erit sella sine puluino, sed eam puluinus sequetur. Plautus in Stic. Istic uos sedete: ego sedero in subfello. Pi. Mane puluinum. Et lib. 1. de Orat. Immo ue- ro commodius etiam: puluinosq. poposcisse: & omnes in ijs sedibus, quae erant, sub platano, confedis- se.

## Argumentum ep. 19.

**C**um scripsisset Paetus, Balbum, qui apud Caesarem gratiofus in primis erat, perquam tenui apparatu fuisse contentum; ioci materiam inde arripit Cicero; idque eum arguit malitiose scripsisse, ut ipse apparat u eodem, uel etiam minore contentus esset. Eodem anno.

Cicero S. D. Papirio Paeto: 19.

**T**AMEN a malitia non discedis. tenuiculo apparatu significas Balbum fuisse contentum. hoc uideris dicere, cum reges tam sint continentes, multo magis consulares esse oportere. nescis me ab illo omnia expiscatum: recta enim a porta domum meam uenisse. neque hoc admiror, quod non ad tuam potius, sed illud, quod nec ad suam. ego autem tribus primis uerbis, Quid

noster Paetus? at ille adiurans, nusquam se umquam libentius. hoc si uerbis affecutus es; aures ad te afferam non minus elegantes: sin autem obsonio; peto a te, ne plus esse balbos, quam disertos putes. Me quotidie aliud ex alio impedit. sed, si me expediero, ut in ista loca uenire possim; non commitam, ut te sero a me certiorum factum putes. Vale.

## EXPLANATIO

**R**EGES} quasi rex esset Balbus, quia potentissimus apud Caesarem. ep. 13. lib. XII. ad Att. Balbi regia condicio delegandi. **CONSULARES}** se ipsum significat. **BALBOS,}** iocatur in ambiguo Balbi nomine. balbi enim dicuntur, qui linguae uitio parum expedite loquuntur. ep. 10. lib. 2. **DISERTOS}** & hic se ipsum, iocans more suo, designat. Noli, inquit, minus laute disertos accipere, quam balbos.

## Argumentum ep. 20.

**V**oluptatem se tum Paeti causa, tum sua, legendis eius litteris, cepisse dicit: Epicureum factum, abiecta reip. & curiae, forique cura: mediocri cibo, ut antea, iam contentum non esse. suam deinde uitam exponens, ait se matutinas horas salutationi tribuere: deinde litteris uti: reliquum tempus in reficiendo corpore consumere. Eodem anno.

Cicero S. D. Papirio Paeto. 20.

**D**VPLICITER delectatus sum tuis litteris; & quod ipseris, & quod te intellexi iam posse ridere. me autem a te, ut scurram uelitem, malis oneratum esse, non moleste tuli. illud doleo, in ista loca uenire me, ut constitueram, non potuisse. habuisses enim non hospitem, sed contubernalem: at quem uirum? non eum, quem tu es solitus promulsidae conficere. integram famem ad ouum affero: itaque ad assum uitulinum opera perducitur. illa mea, quae solebas antea laudare, O hominem facilem, o hospitem non grauem, abierunt. nam omnem nostram de rep. curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, commentationem caussarum abieciimus: in Epicuri nos, aduersarij nostri, castra coniecimus, nec tamen ad hanc insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam: ueterem, dico, cum in sumptum habebas: etsi numquam plura praedia habuisti. proinde te para: cum homine edaci tibi res est, & qui iam aliquid intelligit. & quae

autem homines scis quam insolentes sint. dediscendae tibi sunt sportellae, & artolagani tui. nos iam ex arcibus tantum habemus, ut Verrium tuum, & Camillum, quae munditia homines? qua elegantia? uocare saepius audeamus. sed uide audaciam: etiam Hirrio cenam dedi, sine pauone tamen. in ea cena cocus meus, praeter risu feruens, nihil potuit imitari. Haec igitur est nunc uita nostra. mane salutamus domi & bonos uiros multos, sed tristes, & hos laetos uictores: qui me quidem perofficiose, & peramanter obseruant. ubi saluatio defluxit, litteris me inuoluo: aut scribo, aut lego. ueniunt etiam, qui me audiant quasi doctum hominem, quia paullo sum, quam ipsi, doctior. inde corpori omne tempus datur. patriam eluxi iam & grauius, & diutius, quam ulla mater unicum filium, sed cura, si me amas, ut ualeas: ne ego, te iacente, bona tua comedim. statui enim tibi aegroti quidem parcere. Vale.

EXPLA-

## EXPLANATIO

**V**T *seurram uelitem*, } tamquam militem parum utilem . nam uelites , tirones erant , & minimam in exercitu operá praebebant , neque sua uexilla , neque suos centuriones habebant . Liuius hastas , gladium , parmam ijs tribuit lib. xxxi. & lib. xxxiix. cum tamen iacula , non hastas , quo primum tempore sunt instituti , septena habuissent , ut idem Liuius lib. xxxvi. ostendit . **MALIS** } quae uel miserat fortasse Paetus ad Ciceronem ; uel scripserat , si ad eum iret , egregia daturum in secunda mensa . **ONERATVM** } ut uelites in itinere sarcinis onerabantur . **CONTYBERNALEM** : } diutius enim , quam solent hospites , apud te mansissem . **AT quem uirum ?** } Imitatus est Terentium , qui eodem modo est locutus . **CONFICERE** } satiatum dimittere . **AD . OVVM** } quod erat cenarum initium : mala uero finis . Horatius Sat. 3. lib. 1. Si collibuisse , ab ovo usque ad mala citaret . **ITAQ.** } non itaque , pro quamobrem , sed , itaque , pro , atque ita . **AD assum uitulinum** } ad exitum cenae . asso enim ueteres claudabant aestiuam cenam : quod in libro de anima scriptor in primis eruditus Tertullianus docet in eo loco : Finita sit in illo *μετεσώματτοι* , ut aestiua cena post assum . **OPERA perducitur** . } strenue comeditur usque ad finem cenae . **FACILEM** , } quouis cibo contentum . ep. 16. Facilitate mea ista ferebantur antea . **NON grauen** , } qui sumptum exiguum afferat . **ADVERSARI nostri** , } magna enim Epicuro cū Academicis de summo bono cōtrouersia est : cū hi felicitatē honestis actionibus , ille sola uoluptate metiretur . **CASTRa** } apte : quia dixerat , Aduersarij nostri Castrata , in ueteribus libris esse quidam dicūt . nos in omnibus plane , quos habemus , Castra , uideamus esse . itaque nodū in scyrpo quaerere desinamus . **Nec tamen ad hanc insolentiam** , } plane ab ijs dissentio , qui mendum esse in uerbo , Insolentia , existimarunt . est enim hic Insolentia nimius sumptus , qui fiebat in cenas : a quo se alienū esse Cicero dicit , lautitiam tantū quaerere . quod etiam ep. 15. his uerbis ostendit : Nec tamen eas cenas quaero , ut magnae reliquiae fiant . quod erit , magnificum sit , & lautum . In solentiam eodem sensu posuit Philipp. ix. Magnifice enim , inquit , Ser. Sulpicius maiorum continentiam diligebat , huius saeculi insolentiam uituperabat . Et in oratione pro Sex. Roscio : Qui in sua re fuisse egentissimus , erat , ut fit , insolens in aliena . Tollatur igitur omnis mendii suspicio , & elegans Latini uerbi significatio conseruetur . **CVM in sumptu habebas** : } uetustiorum librorum haec est lectio : quam alij quoque receperunt , licet eam , ut ipsi dixerunt , mendosam suspicari . mihi ea uel maxime probatur , ut desiderari nihil credam . dixit autem Cum in sumptum habebas , pro eo quod dicimus ; cum ad sumptum copiae suppetebant ; cum pro sumptu facultates aderant ; cum erat tibi , quod esset in sumptum satis . sic enim hoc loco , In sumptum , id est , pro sumptu , dixit , quemadmodum etiam ad Atticum ep. 1. lib. iix. Tironem Curio commendat , ut ei , si quid opus erit in sumptum eroget . Epistola etiam , quae sequitur , eodem libro . Sed eum , inquit , uideo , in sumptum ab alijs mutuatum . Et ad eundem lib. xv. Velim cures , ut permutetur Athenas , quod sit in annum sumptum . Imitatur igitur lautitiam tuam , inquit , non hanc recentem , satis tenuem , sed illam ueterem cum habebas in sumptum : etsi nunc quidem plura praedia tibi sunt : quae scilicet a debitoribus pro pecunia , quam credideras . inuitus accepisti , aestimata ex edicto Caesaris quanti quaeque ante ciuile bellum fuissent . Haec quasi per iocum dicta sunt ; ut irrideatur Paetus , qui non habeat in sumptum , ut antea ; cum ei possessiones multo . quam antea , plures sint : quas uendere cum uellet , non poterat : ut est in ep. 18. *ὄψιμαδες* } sero discentes . dixerat autem ab Hirtio , & Dolabella , quos dicendi discipulos , cenandi magistrōs uocauit ep. 16. **INsolentes** } insolenter enim suam scientiam patefaciunt . **SPORTELLAE** , } sportulae , & sportellae uel mittebantur ad amicos , uel dabantur auferendae : ut e Suetonio , Martiale , alijsq. constat . hic sportellae cibi genus uidetur esse , quod Paetus cum artolaganis apponere solet . **ARTOLAGANI** } panis genus : de quo Plinius lib. xix. cap. ii. Panis ipsius uaria genera persequi , superuacuum uidetur . alias ab opsonijs appellati , ut ostrearij : alias a delicijs , ut artolagani . Athenaeus , uino , pipere , lacte , oleo , aut adipe confectos , ait lib. iiii. Hic omnes mei libri ueteres habent , Artolagini , mendose , ut ipsa compositio docet , ex *ἄρτος* , & *λάγανα* . praeterea Plinius artolaganos , Athenaeus *ἀρτολαγαν* appellat . **EX . ARTIS** } mendum subesse quis non uidet ? antiqui libri quinque habent , Ex arcis : unus , Ex orcis : reliqui Ex artis . nihil horum est , in quo animus acquiescat . quidam legunt , Et artis . non improbo coniecturam : licet particula , Et , otiosa uideatur esse . potest hoc referri ad uerbum , *ὄψιμαδες* . ut hoc dicat : quamquam sero didicerim cenas facere tamen artis tantum iam sum adeptus , ut Verrium . &c. Ex arcis , olim placuit : nunc in dubio sum : tum quia Cicero nō abundabat hoc tempore ; itaque dixit ep. 15. Domum si habebo . in denos dies singulos sumptuariae legis conferam : Et ep. ult. Epulamur una non modo non contra legem , si ulla nunc lex est , sed etiam intra legem , & quidem aliquanto . Tum etiam quia non hic suas copias , uerum audaciam extollit : inopiam autem potius indicat , cum ait infra : In ea cena cocus meus , praeter ius feruens , nihil potuit imitari . Praeterea , cum inuitentur ad cenam mundi homines , & elegantes . quales hic Verrius & Camillus uocantur ; non tam sumptu , quam lautitia , & scientia opus est , ut eleganter potius accipiantur , quam opipare . Haec sunt , cur id quod olim nobis placuit , nunc paene displiceat . **VERRIVM** } opinor hunc esse Verrium Flaccum , iuris pontificij peritissimum , quem Macrobius lib. i. Sat. nominat , eiusq. libertum fuisse Verrium illum , a quo sumpsit Feitus : qui & ipse , accepto patroni cognomine , Flaccus dictus est . libertinum enim appellat Suetonius in libello de claris grammaticis . **CAMILIVM** , } ep. 20. lib. v. **QVA munditia** } elegantis gulae . **SINE pauone** } cum Hirtij cenae sine pauone esse non soleant . **COCVS**

**COCVS** sic scribendum, non Coquus, auctore Prisciano lib. I. Apud antiquos, inquit, frequentissime loco Cui syllabae Quus ponebatur, & ecōtrario, ut arqus, coquus, oquulus, pro arcus, cocus, oculus, quum pro cum, quur pro cur. **Ivs feruens**, } quod apponebatur in cenis Hirtianis. **NIHIL potius imitari.** } non dedit ea, quae cocus Hirtij. iocus est. non enim coci culpa fuit, sed Ciceronis, qui pepercit sumptui. **OBSERVANT.** } ep. 13. lib. IV. 7. 12. lib. VI. 24. lib. VII. **DEFLVXIT,** } praeterijt ut aquae cursus. translatio. Sallustius in Jug. Vbi per focordiam vires, tempus, aetas, ingenium defluxere naturae infirmitas accusatur. **LITTERIS me inuoluo:** } abdo me in litteras: ep. 33. lib. VII. **AVDIANT** } de aliqua re disputantem. In prooemio libri de fato loquentem haec Cicero Hirtium inducit: Mihi rhetorica nostra sunt nota; teq. in his & audiuimus saepe, & audiemus. **CORPORI omne tempus** } ambulatione, balneo, unctione, cena, quiete. his enim rebus veteres corpora curabant. **MATER unicum filium.** } mater potius, quam pater: grauius enim, & diutius lugent matres amissos filios, quippe natura molliores, & spe senectutis alendae destitutae. nam patri, amisso filio, praesidij tamen aliquid in seipso relinquitur. **IACENTE,** } aegrotante. **COMEDIM.** } antique, pro Comedam. Plautus in Bacch. Quod in lustris comedim, congreget pater. Sic Edim, pro Edam, veteres dixer. Nonius.

## Argumentum ep. 21.

**I**rriserat se ipsum Paetus, qui fulmina uerborum Ciceronis imitaretur, cum ea consequi minime posset. deinde negauerat Papirium quemquam fuisse patricium. utrumque Cicero refutat. Incertus epistolae annus: omnes tamen ad Paetum, post pugnam Pharsalicam scriptae uidentur, pleraeque post Africanam Caesaris uictoriam.

Cicero S. D. Papirio Paeto.

21.

**A**IN tandem? insauire tibi uideris, quod imitere uerborum meorum, ut scribis, fulmina? tum insanires, si consequi non posses: cum uero etiam uincas, me prius irideas, quam te, oportet. quare nihil tibi opus est illud a Trabea, sed potius ἀπόρρητα meum. uerum tamen quid tibi ego uideo in epistolis? non ne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo. quid enim simile habet epistola aut iudicio, aut concioni? quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo. priuatas causas, & eas tenues, agimus subtilius: capitis, aut famae, scilicet ornatius. epistolas uero quotidianis uerbis texere solemus. Sed tamen, mi Paete, quid tibi uenit in mentem negare, Papirium quemquam umquam nisi plebeium fuisse? fuerunt enim patricij minorum gentium: quorum princeps L. Papirius Mugillanus: qui consul cum L. Sempronio Atracino fuit, cum antea censor cum eodem fuisset, annis post R. C. CCCXII. sed tum Papisij dicebamini. post hunc, XIII. fuerunt, sella curuli, ante L. Papirium Crassum, qui primus Papisius est uocari desinit. is dictator cum L. Papirio Cursore

magistro equitum factus est, annis post R. C. CDXV. & quadriennio post consul cum K. Duilio. hunc secutus est Cursor, homo ualde honoratus: deinde L. Maso aedilicij: inde multi Masones: quorum quidem tu omnium patriciorum imagines habere uolo. deinde Carbones, & Turdi insequuntur. hi plebeij fuerunt: quos cum temnas, censeo. nam, praeter hunc Cn. Carbonem, quem Damaspippus occidit, cuius e rep. Carbonum nemo fuit. cognouimus Cn. Carbonem, & eius fratrem Scurrum: quid his improbius? de hoc amico meo, Rubriae filio, nihil dico. tres illi fratres fuere, C. Cn. M. Marcus, P. Flacco accusante, condemnatus, fur magnus ex Sicilia. Caius, accusante L. Crasso, cantharidas sumpsisse dicitur. is & tribunus pl. seditiosus, & P. Africano uim attulisse existimatus est. hoc uero, qui Lilybaei a Pompeio nostro interfectus est, improbius nemo, meo iudicio fuit. iam, praeter eius, accusatus a M. Antonio, suuorio atracino absolutus putatur. Quare ad patres, censeo, reuertare plebeij quam fuerint importuni, uides. Vale.

## EXPLANATIO

**A**IN. TANDEM? } Ain tu? & Ain tandem? dicimus, interrogantes ea de re, quae admirationem nobis attulit. ep. 5. lib. IV. ad Att. Ain tu? existimas ab ullo malle meae legi, probarique, quam a te? Et ep. 1. lib. VI. Ain tu? Scipio hic Metellus proauum suum nescit censorem non fuisse? Et ep. 2. ibidem: Ain tandem, Attice, laudator integritatis, & elegantiae nostrae? ausus es hoc ex ore tuo? Et ep. 6. lib. XII. Ain tu? uerum hoc fuit, sine me? Et lib. III. de Leg. Ain tandem? etiam a Stoicis ista tractata sunt? Terentius in Andr. Ain tandem? cuius Glycerium est? In Phorm. Ain tandem carcer? In Hec. Ain tu tibi hoc incommodum euenisse iter? **UT. SCRIBIS,** } nisi hoc interposuisset, arroganter facere uisus esset, cum ipse etiam fulmina suorum uerborum appellaret. **NIHIL tibi opus est illud a Trabea,** } non opus

opus est, ut uerba Trabeae poetae in te conuenire dicas: in me enim potius conueniunt. Trabeae uersum posuerat Paetus, quo significabatur, non succedere illi, quod aggressus erat: idest non posse eum consequi fulmina uerborum Ciceronis. Trabeae locum octauum in comoedia Volcatius Sedigitus assignat. nominatur lib. 1. de Fin. in Tusc. 4. & a Gellio lib. xv. cap. 24. Trabea poetae cognomen est, non nomen. uernam enim opinor fuisse, deinde manumissum. inde uetus nomen mansit pro cognomine. Dicitur a genere uestis: cuius tria genera Suetonius in lib. de uestimentis, auctore Seruio in lib. vii. Virgilij, fuisse ostendit, unum e sola purpura, dijs consecratum: alterum e purpura, non sine albo, quo reges utebantur: tertium augurale, e purpura, & cocco. secundum genus ab equitibus, cum trabeati idibus Quinct. transferebantur, usurpatum puto: ut regum potius, quam deorum, aut sacerdotum amictum imitarentur. hoc autem genere ufos esse etiam eos, qui triumphabant, Aufonius poeta docet. nam, ubi Gratiano Imperatori pro consulari gratias agit, cum ait: Tunica inquit, & tun maxime dimicaturus, palmatae uestis meae ornamenta disponsis, feliciter, & bono omine. namque iste habitus, ut in pace consulis est, sic in uictoria triumphantis. Parum est, si, qualis ad me trabea mittatur, interrogas: te coram promi iubes. Quibus ex uerbis primum illud constat, triumphalem Romanis trabeam fuisse; quod alibi non legimus; triumphabant enim in toga picta: deinde consulari, quod reip. temporibus inusitatum fuit; praetexta enim tunc & consules, & reliqui magistratus utebantur: postremo, trabeam, & palmatam uestem idem esse: quod cuiusmodi sit, considerandum. aut enim de palmata tunica loquitur, aut de palmata toga. Si de tunica, dissentit a Floro, qui trabeam, & palmatam tunicam in Tarquinio Prisco separatim nominat: & Plinius lib. ix. cap. 49. distinguit a trabea tunicam lati clauii: latum clauum autem palmatam esse tunicam ostendam. Plinius enim, Purpurae, ait usum Romae semper fuisse uideo, sed Romulo in trabea: nam toga praetexta, & latiore clauo Tullum Hostilium e regibus primum usum, Etruscis deuictis, satis constat. Diuersum a trabea latum clauum aperte demonstrat. at latus clauus si post Etruscum uictoriam in urbem uenit, certe tunica palmata fuit: quam cum toga picta Romam ex Etruria allatam esse, non modo Florus, uerum etiam Dionysius asserit. & uidetur Festus idem significare, cum ait: Tunica palmata a latitudine clauorum dicebatur, quae nunc a genere picturae appellatur. Non igitur de tunica, sed de toga palmata, quam nominat Martialis, locutus Aufonius uidetur. quod si ita est; sequitur, ut toga palmata sit idem cum toga picta. nam eodem loco subiungit Aufonius: Haec est picta, ut dicitur, uestis non magis auro, quam tuis uerbis. Sed reip. temporibus toga picta nunquam consules ufi sunt. Aurum quoque trabeae dat, non solum in hoc loco, sed in extrema etiam gratiarum actione: ait enim: Trabeam non magis auro suo, quam tuo munere splendidam. At Suetonius, cum tria trabearum genera describeret, nullam auri mentionem fecit. Apparet igitur, Gratiano imperante, & trabeatos in urbe consules fuisse, qui praetextati antea fuerant; & trabeam fuisse togam auro pictam, contra ueterem consuetudinem. fuerat enim aurum quidem in toga picta, non tamen in trabea: & diuersas ostendit Plinius lib. ix. cap. 48. seorsum utramque nominans. Trabeis, ait, ufos accipio reges: Pictas uestes iam apud Homerum fuisse, unde triumphales natae. Quae cum dicit, primum a trabeis pictas uestes discernit: deinde illud ostendit, pictas uestes, non trabeas, inter ornamenta triumphalia fuisse. quamquam imperatorum aetate, ut praetexta, sic toga picta consulum in pace fuerit: quod, praeter Aufonium, in Alexandro Seuro Lampridius docet. Militarem habitum post reges crediderim trabeam fuisse, quo consules in bello uterentur. id mihi uenit in mentem Liuij locum lib. xxxii. consideranti. Consul, inquit, cum Coreyrae hibernasset, uere primo in continentem trabeatus ad hostem ducere pergit. Propterea equestres turmae, bellicam speciem repraesentantes, idibus Quinct. ante censores transferebantur. Val. Max. lib. 2. cap. 1. Trabeatos equites idibus Iulij Q. Fabij transferebantur. Et apud Tac. lib. iii. in funere Germanici: Praecedebant incompta signa, uerfi fasces, atque, ubi colonias transgrederentur, atra plebs, trabeati equites. Et Sueton. in Domitiano, de Equitibus R. trabeatis. Eodem uelitu salios quoque sacerdotis trabea ufos, Dionysius lib. iii. auctor est: sed quia trabeas illas *νεγίππος φέρεις φανικωπυρρὸς* uocat, idest purpura praetextas, puniceo colore alternis intertextis; satis constat, cum locutus esse de tercio illo trabearum genere, quod Suetonius e purpura factum & cocco sacerdotibus attribuit. *Ἀπόρρημα* } aberratio: quia non assequor id, quod cupio. **PLEBEO** } humiliter, non elaborato, sed quali homines de plebe utuntur. **SVBTLIVS** } subtilitas est, cum accurate minuta quaeque puro quodam & simplici dicendi genere persequimur. uide quae attulimus ad illum locum: Facile cedo tuorum scriptorum subtilitati, & elegantiae. **CAPITIS, aut famae** } quae priuatae causae non sunt. diximus in libro nostro de Romanis Legibus. **SCILICET** } affirmantis est, ut ep. 6. lib. i. & 15. lib. xv. & alibi. **QVID tibi uenit in mentem** } sic libri mei ueteres omnes, & recte: sic enim alibi quoque Cicero locutus est. **PATRICII minorum gentium** } sic appellati centum illi, quos in senatum Tarquinius Priscus allegit. Erant autem regum aetate senatores omnes, siue maiorum, siue minorum gentium, patricij: & qui allegebatur in senatum, statim patricius erat. itaque numquam dubitauit, quin apud Suetonium, ubi legitur in Augusto, Ea gens inter Romanas gentes allecta in senatum, mox a Ser. Tullio in patricias traducta: uerba illa, In senatum, inducenda sint, ut plane ueritati repugnantia. nam si allecta esset in senatum, quo tempore senatus constabat e patricijs: quid oportuit subiungere, A Ser. Tullio in patricias traducta? Liuius. **CVM antea censor cum eodem fuisset** } praepostere librarius descripsit. prius enim consul, quam censor, Mugillanus fuit. quod Liuius, Dionysiusque declarant. **CCCXII** } hoc ad censuram refero: nam consulatus biennio antecessit, ut ait Liuius, eisdem, quos Cicero, auctores fecutus. nam Verrius horum consulatum anno urbis **CCCIX**, censuram autem anno **CCCXI** collocauit. **PAPISII** } antiquo more, ut Valefij, Fulij. Quinctilianus lib. i. cap. 6. **SELLA curuli** } consules, tribuni mil. censores, praetores, aediles cur. nam hi omnes curuli sella sedebant. praetor autem hoc toto tempore, quod a L. Papirio Mugillano ad L. Papirium Crassum dictatorem Cicero significat, unus om-

nino, isq. patricij generis, Romae fuit, creari coeptus, ut fasti Capitolini testantur, anno urbis 387. eodemq. primum anno aediles cur. patricij creati sunt. Dictatorem non nominavi, quia dictator ex Papiria gente ante L. Papirium Crassum, cuius magister equitum fuit Papirius cursor, nemo fuit. PAPIRIVS est uocari desit. } Desijt, cum agente uerbo; Desit, cum patiente coniungitur: sicuti Coepit, Coepit est. CDXV. } iam ostendi, Ciceronem & Liuium in annorum supputatione a Verrio dissenfisse: itaque hic Papirius in fastis Verrij non anno 415, sed anno 413. dictator est. K. DVILIO. } K, e. Kaeo, unum de praenominibus Romanis, a caeso matris utero, ut ait Festus, & Valerius, & Plinius, itaque scriberetur, C, non K: sed, ut differret a Caius, ideo scribere ueteres K: quod in fastis Verrij uiderelice. Duilius unica l scribo, ex lapidibus, & nummis. Cicero Duclios, non Duilios, uocatos, ait in Oratore, & postea Belios. uerū, si hoc nomen deducitur a duis, & a bis, quod idē est; opinari licet, in Cicerone legendum, Duilios, & Bilios, non Duclios, & Belios. CVRSOR, } quem Alexandro Magno multi uirtute aequabat, teste Liuius lib. IX. MASO } quartū cognomen Papiriae gentis: iam enim Mugillanum, Crassum, Curforem nominauit: qui fuere omnes patricij: Turdi, & Carbones, plebeij, sequentur. Ab hisce autem Massonibus, siue Massonibus, (duplici enim SS. in ueteribus libris scriptum hoc cognomen inuenitur) deducta est illustis familia, quae hodieq. & uiuit, & uiget, Massa. De qua permulti mentionem honestissimam fecere. Nominatur enim *Nicolaus Massa*, medica arte praestans, a Io. Boccario, Italico scriptore praecellenti. *Antonius Massa*, Doctor Theologus, ord. min. & pro Nicolao V. Nuncius Apostolicus ad Imp. Constantinopolitanum, honorifice nominatur in Tripartito libro Parallelorum Graece scripto, necdum edito, qui est apud Andream Londanum, I. V. C. & Equitem Ord. D. Stephani. Fuit & alter *Nicolaus*, philosophiae, medicinaeq. laude perillustis; a multis Principibus, Paulo praecipue III. Franciscocoq. I. magnis propositis praemijs uocatus, qui, sua sorte contentus, Regum praemijs non dicam spretis, sed tamen reiectis, maluit quieto otio uitam ducere, quam Aulae superbos fastus experiri. Quid *Antonius Massa Galleus*, Iuris ciuilibus laude praestantissimus, qui Romanam ciuitatem consilio saepe iuuit, exemploq. suo multos ad recte de Patria merendum docuit: is multa scripsit, quae magna eius cum laude a studiosis leguntur, I. De exercitatione iurisperitorum. II. De re frumentaria. III. De Ufuris. IV. De Annatis. V. De Origine, & rebus Faliscorum. VI. De Transfugis. VII. De Exceptionibus. IXX. Contra usum Duelli. Fuit & *Antonius*, eius nominis tertius, *Apollonij*, qui hodieq. uiuit, & suae uirtutis, medicaeq. artis praecleara iam dedit, datq. in dies expressa signa, pater. Hisce ueluti corollarium addatur, LAURENTIVS. MASSA; cuius uirtus quo excelsiore sita est loco, eo maius Familiae suae praebet lumen. Is apud Serenens. Remp. Venetam quid non agit, quo non & admirationem, & summam cōsequatur laudem? Apud eos Proceres honorificentissimo sane est loco, & quod de eius uirtute, deq. eorum gratitudine libet, maxima cum animi mei iucunditate, ominari, erit, erit certe, cum suorum laborum dulces fructus feret, & quam suaue sit, suam operam gratissimis Principibus praestare, suo opte exemplo perspicue ostendet. Paucos hosce de multis nominavi. Nam nolui nimius esse in eo, in quo si materiam sequi uellem, charta me prius deficeret. Quid militiae laude claros? Quot fuere? Sed haec satis sint hoc loco. Ad institutum nostrum reuertamur. AEDILICIVS: } aedilis tantum fuit: qui uero aedilitatem honores consequuntur, eos non est adeptus. IMAGINES } Romani ueteres maiorum imagines, e cedro factas, ut ait Seruius, quod genus ligni tineas nescit, domi asseruabant: eaeq. mortuis in funere praeferebantur. PRAETER hunc Cn. Carbonem, quem *Damasippus occidit*, } L. Licinius Damasippus, praetor urbanus, qui consulare munus, absentibus consulibus, sustinebat more maiorum, conuocato, uelut ex alia causa, in curiam Hostiliam senatu, consulares uiros Q. Mucium Scaeuolam, pont. max. L. Domitium, praetorium C. Carbonem, Cn. Carbonis, eo anno tertium consulis, fratrem, ut ait Velleius, aedilicium P. Antistium, & alios optimatum principes, iussu C. Marij iunioris consulis, qui Praeneste obsidebatur, occidit. Appianus hoc tribuit Bruto praetori: sed auctor longe certior Cicero, praesertim in rebus, quas ipse uidit, aut certe per aetatem uidere potuit. cum eo sentit Velleius, Valerius Max. & quantum ex epitome licet intelligere, etiam Liuius. Praenomen huius Carbonis Caium arbitror fuisse, non Cnaeum. in quo Velleij primum, deinde Ciceronis etiam testimonio nitor, qui lib. III. de Orat. & Caium appellat, & Craesi oratoris inimicissimum. Cui maerori, inquit, qua mente ille in patriam fuit, etiam C. Carbonis, inimicissimi hominis, eodem illo die mors nefaria fuisset. Quis igitur dubitare possit, quin is Carbo, quem Damasippus occidit, non idem sit, cuius Cicero nefariam mortem uocat, ipsum autem L. Craesi inimicissimum? quis eundem non credat, C. Carbonis, illius eloquentissimi uiri, quem Crassus accusauit, filium fuisse? inde enim Craesi uocatur inimicissimus, quia patris inimicum ulcisci cupiebat. quod si quis dubitat, inspicat Valerium Max. lib. III. cap. 7. Sic igitur concludo: si fuit ille Carbo, quem Damasippus occidit, C. Carbonis, quem Crassus accusauit, filius; quod probatum satis, Cicerone, & Valerio testibus, existimo; necesse uideri, ut in hac epistola, C. Carbonem, non Cnaeum, legatur. Ut omittatur ea ratio: quod in hac Carbonum enumeratione, disertus orator C. Carbo, beneq. de rep. sentiens, quam ob causam Damasippus eum iussu Marij iunioris interfecit, silentio praeteriri non debuit: praeteritur autem, nisi hoc loco nominetur. Adiungam, quae de eo scripta sunt in Bruto. In eodem numero eiusdem aetatis C. Carbo fuit, illius eloquentissimi uiri filius, non satis acutus orator, sed tamen orator numeratus. erat in uerbis grauitas: & facile dicebat: & auctoritatem naturalem quandam habebat oratio. Idem est, de quo sic in Oratore: Me stante C. Carbo C. F. tribunus pl. in concione dixit his uerbis: O M. Druse, (patrem appello) tu dicere solebas, sacram esse rempublicumque eam uiolauissent, ab omnibus esse ei poenas perfolutas. patris dictum sapiens temeritas filij comprobauit. Quibus duorum locorum testimonijs tria constant, primum de praenomine Caio, tum de patre eloquentissimo, id est eo, quem L. Crassus accusauit, postremo de optimo eius erga remp. sententia.

Non uereor, ne nimis proluxa narratio uideatur, si hoc addam, uerum esse non posse, quod Velleius prodidit, hunc C. Carbonem, quem Damasippus occidit, Cn. Carbonis, qui ter consul fuit, fratrem fuisse: cum Caius Caio patre, ut iam ostendi, Cnaeus, ut fasti Capitolini declarant, Cnaeo patre sit natus. Patrualem fuisse, non germanum, fortasse aliquis dixerit. Quo argumento? nam Cnaei pater Cnaeus fuit: at Caij pater Caius fratrem nullum habuit, cui Cnaeo praenomen fuerit, probatur ipso teste Cicerone, uel in hac ipsa epistola. Tres, inquit, illi fratres fuerunt, P. C. M. Duos Caio, quem infra dicit a Crasso accusatum, fratres addit, Publium, & Marcum: Cnaei nulla mentio. Addo illud, quod Cnaei ter consulis pater seorsum a Caio, quem Crassus accusauit, procul nominatur, in eo loco: Pater eius, accusatus a M. Antonio, futorio atramento absolutus putatur. nam, si frater esset; sine dubio uel ante eum proxime, uel post eum statim, nullo interposito Carbonem, nominatus esset. Sic igitur statuendum uidetur; aut illa duo uerba, Consulis fratrem, glossa apud Velleium esse, additum ab imperito homine; aut ipsum etiam Velleium, quod tamen haud libenter crediderim, in historia peccasse, deceptum fortasse similitudine praenominis, & interitus: quia C. Carbonem alterum, Cnaei ter consulis fratrem, militarem disciplinam, corruptam ciuilibus bellis, emendare conantem, ab exercitu interemptum annalium litterae prodiderunt: ut ex Valerio Max. lib. ix. cap. 7. licet intelligere. **COGNOVIMVS Cn. Carbonem,** } hic non est Cn. Carbo, ter consul: qui nominatur infra, potest autem esse, quem elegantis conuentus, auribus minime dignum, turbulentis uero concionibus aptissimum fuisse, auctor est Cicero in Bruto. **NIHIL dico,** } parcendum amico putat: sed, quid sentiat, apparet ex eo, quod improbitatis, uno excepto, quem Damasippus occidit, Carboes omnes iam damnauit. **ILLI** } cum quadam emphasi, illi, insigni omnes improbitate, sunt autem hi tres fratres Carbonum, qui nominantur in hac epistola, uetustissimi: adeo ut eos Cicero per aetate cognoscere non potuerit. **PERIT Marcus ex Sicilia,** } cum in ea praetor, aut quaestor, aut legatus esset. Hoc totum alij attextunt ad superiora, & legunt, Fur magnus ex Sicilia; non attendentes, si ita legatus, de tribus fratribus Marcum praetermitti. **CAIUS,** } Carbonum omnium eloquentissimus, popularis primum, deinde optimatum defensor. **ACCUSANTE** } iam consularem. **L. CRASSO,** } annos nato XIX, ut auctor est Tacitus in dialogo de Orat. **CANTHARIDAS** } succus cantharidis, qui uermis uiridis est, epotus interimit. Tusc. 5. Theodorus Lysimacho mortem minitanti, Magnum uero, inquit, effecisti, si cantharidis uim consecutus es. Et Ouidius in Ibin: Cantharidum succos, dante parente, bibas. De hoc in Bruto his uerbis: Utinam in Ti. Graccho, Caioq. Carbone talis mens ad remp. bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit. profecto nemo his uiris gloria praestitisset. sed eorum alter propter turbulentissimum tribunatum ab ipsa rep. est interfectus: alter, propter perpetuam in populari ratione leuitatem, morte uoluntaria se a seueritate iudicium uindicauit. sed fuit uterque summus orator: atque id memoria patrum teste dicimus. **TRIBVNVS pl. seditionis,** } seditione, ut ait Cicero pro Milone, P. Africanum in concione interrogauit, quid de Ti. Gracchi morte sentiret. Idem rogationem promulgauit, ut eundem tribunum pl. quoties quidem uellet, creari liceret. quam rogationem Africanus minor dissuasit, C. Gracchus suauit: sed Africanus tenuit. Epitome, seditionum fuisse, ostendit etiam in Laelio, cum ait: Carbonem quoque propter recentem poenam Ti. Gracchi sustinimus. **VIM attulisse** } idem scripsit in ep. ad Q. fr. lib. 2. sed lib. 2. de Orat. non ei uim Carbonem attulisse, sed conscium significat fuisse. eius autem mortis culpa in Semproniam uxorem, Gracchorum sororem, a pluribus confertur. unde illud in Somnio Scipionis: Si impias propinquorum manus effugeris, Carbonem & Semproniam in eo scelere coniungere Cicero uidetur in lib. de Amic. Hunc, inquit, etiam post mortem secuti amici, & propinqui, quid in P. Scipionem effecerint, sine lacrimis non queo dicere. **HOC. VERO,** } Cn. Carbone; qui ter consulatum adeptus, acerrime contra Sullam pugnavit: postremo uictus, & Italia pulsus, in Sicilia a Pompeio occisus est. Plutarchus, Appianus, Valerius Max. **PATER eius,** } Cn. Carbo, ut Capitolini lapides testantur, & is fortasse, qui cum Metello Caprario consul fuit. nam de illius dignitate argumentum capio ex accusatione M. Antonij, oratoria laude clari. non enim ignobilem, aut humilem ciuem accusasset: cum praesertim & L. Crassus consularem uirum, C. Carbonem, eloquentia praestantem, adolescentulus iam accusasset. **SUTORIO atramento absolutus putatur.** } futorium atramentum Graeci *Χάριανθρον* uocant. Galenus lib. XIII meth. cap. 20. nominat inter ea pharmaca, quae non leuiter nocendi uim habent: quae ille *διούκριν φθάρνιν* appellat: subiungitq. non tuto medicamentis immisceri, quae per os assumentur. itaque licet opinari, Carbonem hunc, sumpto atramento futorio, uoluntaria morte damnationis a iudicio liberatum. Non ignoro, quibusdam, absolutum atramento futorio, quasi proverbium esse usum: ut dixerit Cicero, absolutum quidem, sed, ut opinio fuit, corrupto iudicio: quod, ut obscurae sunt litterae atramento futorio conscriptae, sic obscurae fuerint iudicium sententiae. Horum probanda ne sit, an condemnanda opinio, alij uiderint. **AD. PATRES, censeo, reuertare:** } Patres dicti centum illi, ex quibus senatum Romulus constituit: qui omnes ingenui fuere. nam reliquos, qui ab initio urbis Romae cum Romulo fuere, patrem, & auum liberos ciere non potuisse, Liuij uerba lib. x. significant. quod Cincius quoque sensisse uidetur in libro de Comitij, qui non exstat, sed eius haec apud Festum mentio est: Patricios, Cincius ait in libro de Comitij, eos appellari solitos, qui nunc ingenui uocentur. Et quia per annos multos patricijs tantum gētibus curia patuit; propterea patres appellat hic Cicero, cum de patricijs loquatur: licet eius aetate, atque adeo multis ante saeculis, plebeijs etiam familijs senatoria dignitas impertiretur, & ideo patres plebeis quoque familijs orti dicerentur. Respexit igitur ad prisca tempora, cum aditus in curiam solis patricijs daretur. Suetonius quoque in Iulio, Clodium, inquit, a patribus ad plebem transire conantem, eadem die, horaq. nona tra-

dixit. A patribus dixit, pro, a patricijs. REVERTARE. } quia Pactus plebeium se esse dixerat, opinatus omnes Papirios fuisse plebeios; malo, inquit, patricium te esse, ducta origine a patricijs, non a plebeijs. Supra: Patriciorum imagines habeas, uolo. IMPORTUNUS, } non modo qui agit aliquid alieno tempore, sed etiam qui agit, quod non debet, importunus est. Lib. 1. de Fin. Filium morte multauit: si sine causa, nollem me ab eo ortum, tam importuno, tamq. crudeli. In Pisonem: Animal ex omnium scelerum importunitate concretum, Pro Cluentio: Importunitatem matris a filij capite depellite,

## Argumentum ep. 22.

**I**ta familiariter & libere iocatus erat Paetus in epistola sua, ut obscenum uerbum non uitaret. unde sumpsit occasionem Cicero exponendae Stoicorum sententiae de licentia loquendi. quo facto, scholam Stoicam damnat: a se ait seruari Platonis in loquendo uerecundiam. Incertus annus.

Cicero S. D. Papirio Paeto. 22.

**A**MO uerecundiam, uel potius libertatem loquenti. atque hoc Zenoni placuit, homini mehercule acuto: etsi Academiae nostrae cum eo magna rixa est. sed, ut dico, placet Stoicis suo quamque rem nomine appellare. sic enim differunt: nihil esse obscenum, nihil turpe dictu: nam, si quod sit in obscenitate flagitium, id aut in re esse, aut in uerbo; nihil esse tertium. in re non est: itaque non modo in comoedijs res ipsa narratur, ut ille in Demurgo modo, (forte nosli canticum: meministi Roscium) Ita me deslituit nudum: totus est sermo uerbis tectus, re impudentior; sed etiam in tragoedijs. quid est enim illud? Quae mulier una? quid, inquam, est? Vsurpata duplex cubile. quid illud? Pheraei hic cubile inire est ausus. quid est? Virginem me quondam inuitam per uim uiolat. Iuppiter bone, uiolat? atqui idem significat, sed alterum nemo tulisset. Vides igitur, cum eadem res sit, quia uerba non sunt, nihil uideri turpe. ergo in re non est: multo minus in uerbis. si enim, quod uerbo significatur, id turpe non est: uerbum, quod significat, turpe esse non potest. Anum appellas alieno nomine; cur non suo potius? si turpe est, ne alieno quidem: si non est, suo potius. Caudam antiqui penem uocabant, ex quo est propter similitudinem peniculus: at hodie penis est in obscenis. at uero Piso ille Frugi in Annalibus suis queritur, adolescentes peni deditos esse. quod tu in epistola appellas suo nomine, ille rectius penem. sed quia multi, factum est tam obscenum, quam id uerbum, quo tu usus es. Quid, quod uulgo dicitur, Cum nos te uolumus conuenire, num obscenum est? memini in senatu disertum consularem ita eloqui, Hanc culpam maiorem, an illam dicam? potuit obscenius? non, inquis: non enim ita sensit. non ergo in uerbo est. docui autem in re non esse nusquam igitur est. Liberis dare operam, quam honeste dicitur. etiam patres

rogant filios: eius operae nomen non audent dicere. Socratem fidibus docuit nobilissimus fidicen. is Comus uocatus est. num id obscenum putas? Cum loquimur, terni, nihil flagitij dicimus: at, cum bini, obscenum est. Graecis quidem, inquit. nihil est ergo in uerbo: quando & ego Graece scio; & tamen tibi dico, bini; idq. tu facis, quasi ego Graece, non Latine, dixerim. Rura, & menta, retie utrumque. uolo mentam pusillam ita appellare, ut ritulam: non licet. Bella testoriola dicit: dic ergo etiam paumenta isto modo: non potes. Vides igitur nihil esse, nisi ineptias, turpitudinem nec in uerbo esse, nec in re, itaque nusquam esse. Ergo in uerbis honestis obscena ponimus. quid enim, non honestum uerbum est diuisum at inest obscenum. cui respondet intercapedo. num haec ergo obscena sunt? nos autem ridicule, si dicimus, ille patrem strangulauit, honorem non praefamur: sin de Aurelia aliquid, aut Lollia, honos praefandus est. Et quidem iam non etiam obscena uerba pro obscenis sunt. batuit, inquit, impudenter: depisit, multo impudentius. atqui neutrum est obscenum. STULTORVM plena sunt omnia. Testes, uerbum honestissimum in iudicio, alio loco non nimis. at honesti Colei Lanuini, Cliverini non honesti. Quid? ipsares modo honesta, modo turpis. suppedir, flagitium est: iam erit nudus in balneo, non reprehendes. Habes scholam Stoicam. ὁ σοφοῦς ἄδουδὸν ἠμωῶν εἶναι. Quam multa ex uno uerbo tuo? Te aduersus me omnia audere, gratum est. ego seruo, & seruabo (sic enim affueui) Platonis uerecundiam. itaque te illis uerbis ea ad te scripsi, quae apertissimis agunt Stoici. sed illi etiam crepitus aiunt aequae liberos, ac ructus esse oportere. honorem igitur Kalendis Martijs. Tu me diliges, & ualebis.

## EXPLANATIO

**A**MO uerecundiam, } Platonis, in loquendo. VEL potius libertatem loquendi. } aut hoc per iocum dicit: aut legendum, Alij potius libertatem. alioqui pugnancia loqueretur. nam infra, Ego, inquit, seruo, & seruabo (sic enim affueui) Platonis uerecundiam. Et hanc sententiam, reprehensa Stoicorum, & Cynicorum libertate, accurate defendit lib. 1. Off. Nec uero audiendi sunt, inquit, Cynici, aut si qui fuerunt

fuerunt Stoici paene Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quod ea, quae turpia re non sunt, uerbis flagi-  
 riosa dicamus; illa autem, quae turpia sint, nominibus appellemus suis. latrocinari, fraudare, adulterare, re  
 turpe est, sed dicitur non obscene: liberis dare operam, re honestum est, nomine obscenum. pluraq. in eam  
 sententiam ab eisdem contra uerecundiam disputantur. Est igitur festina correctio, ad Paeti gratiam in-  
 ducta, quasi assentandi causa. & eodem spectant illa, quae sequuntur de schola Stoica: ut uerbi turpitudi-  
 nem, quod Paetus effutierat, Stoicorum auctoritas quodam modo tegetet. **ZENONI** Zenones octo  
 nominat Laertius, primum Eleatem, qui Parmenidem audiuit, ut ait Suidas, & dialecticam inuenit, ut Ari-  
 stoteles. Mira fuit in cruciatibus patientia, utpote qui, detecta coniuratione, cuius ipse auctor fuerat, per-  
 peti omnia maluerit, quam confcios delendae tyrannidis indicare: quos ne nominare cogereetur, praecisam  
 dentibus linguam in os Neoclis tyranni conspuit. Tusc. 2. & Laertius. Alter fuit Zeno Citiaeus, e Cito, Cy-  
 pri insulae opido, Polemonis auditor, Stoicae sectae conditor, & princeps, ut inquit Cicero pro Murena,  
 & in Orat. & lib. III. de Fin. & Strabo lib. XIV. & Laertius in uita. is Atheniensibus ita carus fuit, & aucto-  
 ritatis tantae, ut apud eum clauis urbis deponerent, aureaq. ipsum corona ornarent, & imagine aerea. Hic  
 est, quem hic Cicero nominat, & in Lucullo his uerbis: Zeno inuentor, & princeps Stoicorum fuit. Et  
 Acad. 1. Zeno nullo modo is erat, qui, ut Theophrastus, neruos uirtutis incideret; sed contra, qui omnia,  
 quae ad beatam uitam pertinerent, in una uirtute poneret, nec quidquam aliud numeraret in bonis. Idem  
 lib. IV. de Fin. Postremus a Laertio nominatur Sidonius Zeno Epicureus: quem Cicero audiuit, eiusque  
 mentionem facit in Lucullo, & Acad. 1. in extremo, & lib. 1. de nat. de. & in Tusc. 3. **HOMINI meber-  
 tute acuto**: } acumen Stoici Zenonis laudat & in Acad. 1. Zeno, inquit, cum Arcefilam anteiret aetate, ual-  
 deq. subtiliter differeret, & peracute moueretur, corrigere conatus est disciplinam. ep. 22. lib. IX. **ACA-  
 DEMIAE nostrae**: } Academia duplex, uetus, & noua, uetus, a Platone instituta, mox culta a Speusippo,  
 Xenocrate, Polemone, Cratete, Crantore: noua, ab Arcefila, Carneade, Lacyde. **MAGNA rixa**: } de  
 fine bonorum, & malorum: cum Stoici unam uirtutem sequantur, cetera contemnant omnia; Academicus  
 uero uirtutem quidem rebus omnibus praeferant, honoribus tamen, diuitijs, ualetudini, alijsq. tum fortuna-  
 nae, tum naturae muneribus locum relinquunt. Hanc rixam Cicero in Lucullo ostendit his uerbis: Aut Sto-  
 cus constituatur sapiens, aut ueteris Academiae. utrumque non potest: est enim inter eos non de terminis,  
 sed de tota possessione contentio. nam omnis ratio uitae definitione summi boni continetur: de qua qui  
 dissident, de omni ratione uitae dissident. Et Acad. lib. I. multa in hanc sententiam. Diuus Augustinus lib.  
 III. contra Academicos recitat haec uerba Ciceronis: Contra Stoicos potissimum Academicorum exarsit  
 ingenium. **PLACET Stoicis, suo quamque rem nomine appellare.**: } attingit hoc lib. 1. Off. uide & Ari-  
 stotelem lib. III. Rhet. **IN. RE non est**: } Sextus Empiricus, a Zenone Stoico ne praeposteram qui-  
 dem improbatam esse, lib. III. Pyrrh. c. 24. ostendit his uerbis: Illum Achilles erga Patroclum ardentem  
 amorem ad hoc referunt nonnulli. quod cur mirum illi uideatur? cum & Cynici philosophi, & Zenon Ci-  
 tiaeus, & Cleanthes, & Chrysippus indifferens esse dicant. Et paullo post: Stoicos audiuimus dicentes a ra-  
 tione non abhorreere, cum meretrice congressi, aut quaestu meretricio uitam sustentare. Et infra: Zeno Ci-  
 tiaeus non alienum a ratione dicit esse, matris naturam suae affricare: quemadmodum nec aliam corporis  
 eius partem manu fricare, malum ullus esse dixerit. Cum praeterea detestabile sit apud nos *αὐτοχρησῆν*, Ze-  
 no approbat. Et cap. 25. Stoicorum sectae princeps Zeno *ἐν τῶν ἀσκησιῶν*, idest in libris de institutione  
 puerorum, cum alia similia, tum uero haec dicit: Diuidere nihilo magis, nec minus pueros admatos, qua  
 non admatos, nec feminas, quam mares. non enim sunt alia, quae pueros admatos, aut non admatos,  
 nec feminas, aut mares deceant: sed eadem illos decent. **ILLE in Demiurgo modo**, } Ille, non est poe-  
 ta, qui Demiurgum tragoediam scripsit, sed histrio, idest Roscius. Demiurgum autem scripsit Turpilius:  
 ut ex Nonio licet cognoscere. **MODO**, } si Ciceronis uerbum est; actam paullo ante hanc tragoediam,  
 cogimur credere. in quo equidem haereo. nam ex eo sequetur, uixisse Roscium paullo ante: de quo subiun-  
 gitur: Meministi Roscium. quod si ita est: hanc epistolam aliquot annis ante ciuile bellum scriptam esse,  
 necessario putabimus. nam Roscius ante orationem pro Archia poeta habitam e uita decessit: quod ipsa in-  
 dicat oratio, quae habita est, quantum assequi coniectura licet, Silano & Murena cos. id quod ipsa oratio  
 ne examinanda lector intelligens iudicabit. Aut igitur hanc epistolam paullo post orationem pro Archia  
 scriptam esse dicamus; quod mihi parum sit uerisimile; cum ceterae ad eundem omnes Caesare dominante  
 scriptae sint: aut aliter distinguamus. nempe sic: Ut ille in Demiurgo: Modo (forte nostri canticum, memi-  
 nisti Roscium) ita me destituit nudum. Ut, Modo, poetae uerbum sit. **NOSTI canticum**: } canticum  
 agere histrio dicebatur, cum ipse quidem corporis motus tibicinis modis congruentes dabat, alius autem  
 ante tibicinem canebat. id fiebat, si solus histrio loqueretur: nam, si duo, uel plures (id Liius initio lib. VII.  
 Diuerbium uocat) tunc & canebat idem histrio, & ad cantum motus accommodabat. **ROSCIVM**: }  
 summum in actione scenica. ex eo natum, ut Roscius appellaretur, quicumque aliqua arte, aut facultate ex-  
 celleret. **DESTITUIT nudum**: } In Demiurgo comoedia querebatur nescio quis, nudum se a mulie-  
 re destitutum. **RE impudentior**: } quia suberat hoc: creptam sibi habendae rei cum ea muliere potesta-  
 tem. **SED etiam in tragoedijs**: } in quibus maior, quam in comoedijs, grauitas requiritur. **QUAE  
 mulier una?**: } quacnam est, quae cum uiro concumbit? **VSRPATA duplex cubile**: } hoc proxi-  
 me sequitur post illud, Quae mulier una? nam uerba sunt mulieris de pellice querentis. & fortasse loquen-  
 tem haec poeta induxerat Theben, uxorem Alexandri, Pheraei tyranni: quem arbitror infra nominari. haec  
 enim, ut Cicero lib. 2. Off. prodidit, propter pellicatus suspicionem uirum interfecit. **Vsurpata**, uerbum de-  
 ponens temporis praeteriti: cum tamen, **Vsurpo**, sit usitatus, quam **Vsurpor**: ut, Iuratus, a Iuro. Legimus  
 etiam

etiam apud Gel. & Macrobius. Q. Mucium iurifconsultum dicere solitum; Non esse usurpatam mulierem, quae cum Kal. Ian. apud uirum matrimonij causa esse coepisset, ante diem quarto Kalendas Ian. sequentes, usurpata esset. **PERAEI** &c. } opinor hoc esse ex eadem tragoedia, sed aliquanto post illa superiora, nam illa in pellicem, haec in adulterum dicuntur **VIRGINEM** me quondam inuitam per uim uiolat. } potest hoc esse eiusdem Thebes in Alexandrum tyrannum. Violat, modeste dixit. antiqui enim, ut lib. v. de lin. Lat. scripsit Varro, Violauit uirginem, pro Vitiauit, & Cum muliere fuit, pro Concubuit, modeste dicebant. **IDEM** significat, } alterum uerbum est, idem significans, quod uiolo: sed, illud poeta si dixisset, nemo tulisset, ergo non est in re flagitium: nam in comoedijs, & tragoedijs, licet uerbis tectis, res tamen ipsa narratur. **ALTERVM** } obscenum uerbum, quo dissoluti homines pro uiolo libere utuntur. **ALIENO nomine**; } proprium nomen, podex: alienum, anus: a uetula: quod utriusque similis deformitas, & foeditas, significatio diuersa cognoscitur in omni casu, praeterquam in eo, qui regit, & eo, qui accufat. nam anus, & anum, pro podice, & uetula, aequae dicitur: ceteri casus differunt. **NE alieno quidem**; } appelles. **PENICVLVS**; } in antiquis libris & Peniculus, est, & Penicillus. Festus Peniculum appellat, quo calceamenta tergentur: & ait a Pene deductum, id est cauda. Plautus quoque in Men. act. 1. Iuuentus, ait sub persona Paroliti, nomen fecit Peniculo mihi, Ideo quia mensam, quando edo, detergeo. **AT uero** } malim, Et uero. non enim hoc aduersatur, sed consentit proximis superioribus uerbis. & alibi sic Cicero locutus. unus omnino uetus liber habet, Ut Piso. **ILLE Frugi** } qui sine ornatu scripsit historiam: ut lib. 2. de Orat. & lib. 1. de Leg. & Tusc. 3. Frugi autem, a moribus appellatus. **IN Annalibus suis** } quorum ex lib. v. Priscianus uerba quaedam recitat lib. x. **PENI** } libidini, quae pene exercetur. **SVO nomine**; } mentulam. **Infra**: Quam multa ex uno uerbo tuo. **QVIA multi**; } subaudi, penem nominant. **CVM nos** } qui hoc pronuntiabat, uidebatur dicere, Cunnos. quod obscenum est. hinc opinor satis patet, mendose ueteres pronuntiasse, Cun, pro Cum, sequente littera n. quam ob causam dixere, Nobiscum: ne dicerent, Cun nobis; & ita Cunni mentio probas aures offenderet. Hoc uitium Cicero notauit in Oratore. Quid illud, inquit, non olet, unde fit, quod dicitur, cum illis, cum autem nobis non dicitur, sed nobiscum? quia, si ita diceretur, obscenius concurrerent litterae, ut etiam modo, nisi, autem, interposuissent, concurrissent. ex eo est, mecum, & tecum, non, cum me, & cum te: ut esset simile illis, uobiscum, atque nobiscum. Peruenit hoc uitium ad aetate Quinctiliani: nam haec scripsit lib. ix. Iunctura deformiter sonat: ut, si Cum hominibus notis loqui nos dicimus, nisi hoc ipsum, hominibus, medium sit, in praefata uidemur incidere. **HANC culpam maiorem, an illam dicam?** } dupliciter peccasse consularem illum, quidam putant; cum dixit, Culpam, & An illam: quod in Culpam, prior syllaba obscenam corporis partem indicare uideatur; An illam uero parum uerecunde dictum sit, quia tres primae litterae, An i, anum referant; quam corporis partem, quia turpis est, ideo natura auertit ab oculis. Ego in, Culpam, uitium nullum agnosco, alioqui obscene loqueretur, quicumque Culpam nominaret. in, An illam, uidetur inesse turpitudinis: quam Cicero uitandam censet: hodie tamen uitio non datur, si quis ita loquitur. **LIBERIS dare operam**; } operam in eo ponere, ut filij generentur. **QVAM honeste dicitur**; } id est, honeste plane dicitur: tum quod honesta res est: tum etiam, quod eius operae nomen aperte non dicitur. lib. 1. Off. Liberis dare operam, re honestum est, nomine obscenum. **CONNVS** } quod nomen una tantum littera distat a Cunnus, nec tamen obscenum est. Plato eum nominat in Epitaphio. **BINI**; } apparet, uel, Vini, pro Bini, dixisse ueteres Romanos; quod quidem audientibus nihil differre uideatur a Graeco *βίνα*: uel, cum Graeca uerba a *β* incipientia pronuntiarent, pro *β* nominasse Latinam litteram B. nam, si flagitium est in, Bini, nimirum id est est, quia non differt a Graeco *βίνα*. aut igitur, Bini, per *β* Graecum, aut *βίνα* per B Latinum pronuntiabant. **Ido, tu facis**; } *βίνα*, est, concumbe, a *βίνα*. cum ergo tibi dico, Bini, tu concumbis: quasi ego tibi, Graece locutus, imperauerim, ut concumberes: cum tamen ego Latine dixerim, non Graece. **NON licet**; } quia, mentula, dicerem: quod obscenum est. **NON potes**; } quia diceres, pauimentula: in quo uerbo mentula nominatur. **NON honestum uerbum est diuisio?** } tunc est honestum, cum simpliciter significat, separatio: obsceni enim tunc nihil inest, & usurpatur consuetudine communi: ut, diuidere lignum, fundum, hereditatem, similia. honestum autem tunc non est, cum dicimus, diuidere puerum: ut Graeci quoque loquuntur: dicunt enim, *διαμερίζαν παιδικά*, pro, diuidere, & stuprare pueros admatos, & ita locutum esse Sextum Empiricum lib. 111. Pyrrh. cap. 25. animaduerti. idemque cap. 24. cum ageret de mascula Venere, sine probro apud quasdam gentes usitata, ut apud Germanos, & Thebanos, haec subiungit: Merionem Cretensem (Merionem illum, Homero uersu notum, Idomenei, Cretensium ducis, aurigam, appellat) ita uocatum aiunt ad expressam consuetudinis Cretensium significationem. Haec Sextus, ex opinione eorum, qui Merionis nomen *δὸν τὸ μερίζαν τὴν παιδικά*, deductum putabant, qui *μερίων*, Ionica lingua *ε* in *η* conuersa, ab Homero uocatur. Videtur huc spectasse Plautus in Aul. ambigua tamen significatione, ut est in hoc genere factus, cum dixit: Me quidem hercle (dicam palam) non diuides. Et ibidem: Post, si quis uellet te, haud non uelles diuidi. **CVI respondet intercapedo**; } Respondet, pro simile est: ut Respondet Rhetorica dialecticae: quod Aristoteles initio Rhetoricorum dixerat, *ἀντὶς πορνῆς*. Ut diuisio, inquit, sic intercapedo & honestum, & obscenum potest esse uerbum: honestum, ut intercapedo temporis, litterarum, id est, interuallum: obscenum, ut in patiente puero. agens enim diuidit, patiens intercipit, turpissima, & execranda libidine. **NYM. OBSCENA. SVNT?** } non sunt. dixit enim, Non honestum uerbum est diuisio? **HONOREM non praefatur**; } cum tamen res nefaria sit. Praefatur honorem, qui, turpe aliquid dicturus, excusandi sui gratia uerbis uitium ueniam petentibus, ut ignosce, pace dicam tua, & similibus. **AVRELIA, aut Lollia**; } scortis nobilibus. **BATVIT**, m-

quit, impudenter: depfit, multo impudentius. } Batuere, & Depfere, cum non obfcena proprie fint uerba; nam illud eft, uerberare, uel pugnare; hoc, subigendo tenerum reddere; ad obfcenam tamen fignificationem transferuntur. Batuere enim fic accipitur pro βατεύειν, ut, bini, pro βίνα. eft autem βατεύειν, cum maris infiliunt feminas rei Venereae cauffa. quo uerbo Theocritus ufus eft. Depfere uero, eft subigere, mifcere, id perfpicue docet Nonius, Condepfere, ait, eft, commifcere, a Graeco tractum δέψω. Homerus Odyffeae M. Κυρόν δέψας Μελιχδέα. Pomponius Nuptijs: Partem infipui, concludi, condepfui. Depfere igitur & honeftum, & obfcenum effe potest. honeftum eft, apud Catonem, & Varronem; obfcenū, non agnofcitur exemplis: fed hic fufficere uidetur Ciceronis locus; cum ait: Iam non etiam obfcena uerba pro obfcenis funt. Batuit, inquit, impudenter: depfit, multo impudentius. Praeterea uidetur Catullus dixiffe, Patruī perdepfit ipfam Vxorem: non, Perdepfuit. quem locum Iofephus Scaliger, fummo adolefcens ingenio, dignus plane Iulio Caefare patre filius, emendauit. Eft autem multo impudentius, depfere, quam batuere: quia turpius eft, subigere, quam infilire. batuit enim, id eft infilit, qui rem Veneream habere uult: depfit uero, id eft subigit, *ὄπι δέψαν*, qui libidinem ipfam exercet. **STULTORVM plena funt omnia.** } dicitur hoc ex perfona Stoicorum, ut illud fupra: Vides igitur nihil effe, nifi ineptias; turpitudinem nec in uerbo effe, nec in re, itaque nufquam effe. Infra uero, ut oftendat Cicero, fe non ea dixiffe, quae ipfe probet, fed ea, quae Stoici fentiant, Habes, inquit, fcholam Stoicam. Ineptias igitur, & ftultitiam Stoici putabant, fi quis uerecundiam in loquendo feruaret, cum nec in uerbis, nec in rebus turpitudinem effe uideretur, fed effet rerum omnium ἀδιαφορία quaedam. **ALIO loco** } cum loquimur de teftibus uirilibus. **NON nimis.** } etfi, nimium, non probatur: tamen, non nimis, non pro eo ponitur, quod infra nimium ftatim eft, quod eft multum, uerum pro eo, quod a nimio longe diftat; id eft pro parum. fic in Diuinatione in Verrem: Statuere debetis, Q. Caecilium non nimis hanc cauffam feuerē, non nimis accurate, non nimis diligenter aſturum. **COLEI Lanuini,** } familia Lanuina, fic appellata, uel familiae cognomen. **CLITERNINI non honefti.** } quia familia Coleorum ibi non eft: & ideo, Cliterninos coleos qui dicit, non familiam, fed teftes uiriles dicit. Vtrique autem populi, Lanuini, & Cliternini, funt in Latio. Coleorum uocabulo ufus eft Laberius, apud Nonium. **SUPPEDIT, flagitium eft:** } quia, cum deducatur a pedo, fignificat, crepitum uentris emittere. **NON reprehendes.** } quia ualetudinis gratia itur ad balneum: et ideo, in balneo pedere, flagitium non eft. **HABES fcholam Stoicam.** } quae a Stoicis in fchola difputantur. **Οσοφός οὐδὲν ὀρθῶς λέγει.** } fapiens recte loqueris. opinor contra fcholam Stoicam hoc effe, ut dixerit Cicero: Stoici fuperiora illa difputant: mihi autem hoc uidetur, fapientem ita loqui debere, ut obfcenitatem uitet: quod ego facio, Platonis uerecundiam feruans. **Ex uno uerbo tuo?** } quia Papirius in epiftola fua mentulam nominarat, ex eo uerbo occafionem exponendae Stoicorum fententiae de libertate loquendi Cicero fumpfit. **ADVERSUS ME** } leuius eft, quam contra. nam, contra, nocendi uoluntatem oftendit: aduerfus, interdum eft fine cōtraria, uel etiam cum bona uoluntate. Ad Att. ep. 3. lib. x. Vnum te puto minus blandum effe, quam me: aut, fi uterque noſtrum eft aliquando aduerfus aliquem, inter nos certe numquam fumus. Terentius in Andr. Id gratum fuiſſe aduerſum te, habeo gratiam. Quod ait Donatus effe, penes te. Et illud eiufdem in eadem fabula: Opus eft aut hunc cum ipſa, aut me aliquid de illa aduerſum hunc loqui: Aduerſum pro apud effe poſitum, idem Donatus opinatur. **AVDERE,** } & hoc indicat, Ciceroni non placere libertatem loquendi. quod fequentibus quoque uerbis declaratur. **PLATONIS uerecundiam.** } quam fuis in ſcriptis Plato feruauit. **ETIAM crepitus** } non modo uerba. **HONOREM** } habere uolui. **KALENDIS Martijs.** } quem praecipue diem matronas, Iunoni dicatum, cum religione coluiſſe, lib. fat. i. ſcripfit Macrobius. Hinc Plautus in Milite: Da mihi uir, Kalendis quae mittam, cum Martiae uenerint. quem uerſum ſine cauffa immutarunt poſtea impreſſores tranſalpini, hoc modo: Da mi uir Kalendis meam quod matrem iuuerit. Ouidius Faſt. lib. III. & Seruius in Virg. lib. IIX. cur Kalendas Martias matronae colerent, cauffam exponunt.

## Argumentum ep. 23.

**P**Raenunciat Paeto aduentum ſuum: quamquam enim audierit eum pedibus laborare, ſe tamen putare ait, cocum illius articulari morbo non impediri, quo minus cenam poſſit apparare. Caefare tertium, & Lepido cos.

Cicero S. D. Papirio Paeto. 23.

**H**ESI ueni in Cumanum: cras ad te fortaffe: ſed, cum certum ſciam, faciam te paullo ante certiorē. etſi M. Ceparius, cum mihi in ſilua Gallinaria obuiam ueniſſet; quaeſiſſemque, quid ageres; dixit te in lecto effe, quod ex pedibus laborares. tui ſcilicet moleſte, ut debui: ſed tamen conſtitui ad te uenire; ut & uiderem te, & uiferem, & cenarem etiam. non enim arbitror cocum etiam te artbriticum habere. exſpecta igitur hoſpitem cum minime edacem, tum inimicum cenis ſumptuoſis. Vale.

EXPLA-

## EXPLANATIO

**C**VM certum sciam, } de die. nam ire omnino constituerat: ut infra. **SILVA Gallinaria** } Varro lib. III. de re rust. Silua, inquit, Gallinaria, a gallinis rusticis dicta, est in mari Tusco, secundum Italiam contra montes Ligusticos. Et Strabo lib. v. **EX pedibus laborares.** } quae podagra dicitur: chira-gra uero, cum ex manibus laboramus. Pedum doloribus affici, ep. 19. lib. VI. **ET uiderem te, & uiserem,** } uiserem, dixit, uel quia Paetus aegrotabat, uel quia domum crebro ad eum ire Cicero uolebat, ut apud eum cenaret. **ARTHRITICVM** } articulis ita laborantem, ut cenam apparare non possit.

## Argumentum ep. 24.

**R**ufum, a Paeto commendatum, ait sibi curae etiam atque etiam fore: deinde monet, ut omnino ad cenas & conuictum amicorum redeat: cōcludit, rep sibi nihil esse carius. Post Caesaris necem, Hirtio, & Pansa cos.

Cicero S. D. Papirio Paeto. 24.

**R**UFUM istum, amicum tuum, de quo iterum iam ad me scribis, adiuu rem quantum possem, etiam si ab eo laesus essem, cum te tantopere uiderem eius causa laborare: cum uero & ex tuis litteris, & illius ad me missis, intelligam, & iudicem, magnae curae ei salutem meam fuisse; non possum ei non amicus esse, neque solum tua commendatione, quae apud me, ut debet, ualet plurimum, sed etiam uoluntate, ac iudicio meo. uolo enim, te scire, mi Paete, initium mihi suspicionis, & cautioris, & diligentiae fuisse litteras tuas: quibus litteris congruentes fuerunt aliae postea multorum. nam & Aquini & Fabraterrae consilia sunt inita de me, quae te uideo inaudisse: & quasi diuinarent, quam his molestus essem futurus, nihil aliud egerunt, nisi, me ut opprimerent. quod ego non suspicans, incautior fuisset, nisi a te admonitus essem. Quamobrem iste tuus amicus apud me commendatione non eget. utinam ea fortuna reip. sit, ut ille me quam gratissimum possit cognoscere. Sed haec haec tenus. Te ad cenas itare desisse, moleste fero. magna enim te delectatione, & uoluptate priuasti: deinde etiam uereor, (licet enim uerum dicere) ne nescio quid illud, quod solebas, dediscas, & obliuiscare cenulas facere. nam si tum, cum habebas quos imitarere, non multum proficiebas; quid nunc te facturum putem? Spuria quidem,

cum ei rem demonstrassem, & uitam tuam superiorem exposuisset; magnum periculum summae reip. demonstrabat, nisi ad superiorem consuetudinem tum, cum fauonius flaret, reuertisses: hoc tempore ferri posse; si forte tu frigus ferre non posses. Sed mehercule, mi Paete, extra iocum, moneo te, quod pertinere ad beate uiuendum arbitror, ut cum uiris bonis, iucundis, amantibus tui uiuas. nihil est aptius uitae, nihil ad beate uiuendum accommodatius. nec id ad uoluptatem refero, sed ad communitatem uitae, atque uictus, remissionemque animorum, quae maxime sermone efficitur familiarium, qui est in conuiujs dulcissimus: ut sapientius nostri, quam Graeci: illi σὺν πρῶτοις, aut σὺν δεσπύτοις, id est comotationes, aut concenationes: nos conuiuia; quod tum maxime simul uiuitur. Vides, ut te philosophando reuocare coner ad cenas? Cura ut ualeas: id, foris cenando, facillime consequere. Sed caue, si me amas, existimes me, quod iocosis scribam, abiicisse curam reip. sic tibi mi Paete persuade, me dies, & noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei ciues salui, liberiq. sint. nullum locum praetermitto monendi, agendi, prouidendi. hoc denique animo sum, ut, si in hac cura, atque administratione uita mihi ponenda sit, praecclare aetum mecum putem. Etiam atque etiam uale.

## EXPLANATIO

**M**AGNAE curae ei salutem meam fuisse; } quia consilia de opprimendo Cicerone inita Rufus ad Paetum derulit, Paetus ad Ciceronem scripsit. **UT debet, ualet plurimum,** } sic ep. 19. lib. 2. **AQUINI,** } opidum est in Latio. **FABRATERIAE** } in Campania. Priscianus lib. 2. In tertia definitia similiter faciunt, Fabraterra Fabraternus. **CONSILIA sunt inita** } ab Antonio. **DE ME** } opprimendo. **INAUDISSE:** } inaudimus occulta. Cicero Pansa: Quorum erupit illa uox, de qua ego ex te primum inaudieram. Et Plautus in Aul. Credo ego iam illum inaudisse, mihi esse thesaurum domi. **MOLESTVS** } acerbissimis enim, quae exstant, orationibus Antonium infectatus est. **EA. FORTUNA reip. sit,** } occiso enim Caesare, nondum tamen suum ius resp. recuperauerat. ep. 1. lib. XII. **ITARE desisse,** } propter frigus. **QUOD solebas,** } amicos ad cenam inuitare. **CVM habebas quos imitarere,** } uiuo Caesare, cum Hirtius, & Dolabella cenas darent. ep. 16. **NON multum proficiebas;** } quia illorum cenae copiosae, tuae pertenuis erant. **SPURINA** } Vestriciae gentis, ut lib. XIII. auctor est Tacitus. haruspex fuit, qui futura praediceret. hic Caesarem monuit, ut cauteret idus

ret idus Martias, quibus postea est interfectus. Suetonius. MAGNUM periculum summae reip. } iocus est. AD SUPERIOREM consuetudinem } itandi ad cenas. CVM favonius flaret, } qui flare incipit in-  
eunte vere. FRIGVS } quod quia ferre non potes, ideo ad cenas itare desisti. FERRE } ludit in  
nerborum similitudine, Ferri, & Ferre. CVM uiris bonis, iucundis, amantibus tui } sic locutus ep. 21.  
lib. v. COMMVNITATEM } ut simul uiuatur, animusq. remittatur sermone familiari. Placet alijs,  
Comitatem: sed libri ueteres aduersantur omnes. PHILOSOPHANDO } ab eo loco, Nihil est aptius  
uitae. AD CENAS? } non ut cenas ipse des, sed ut apud alios cenas. Subiungit enim: Cura ut ua-  
leas: id, foris cenitendo, facillime consequere. VT MEI cines salui, liberiq. sint. } scriptam esse  
epistolam post Caesaris necem, ex hoc loco intelligitur. MONENDI, agendi, prouidendi. } quae  
tria postulantur ab optimo ciue. VITA MIHI ponenda sit, } quod accidit. iussu enim Antonij  
trium uiri ob reimp. recte administratam est interfectus. PRAECLARE actum mecum putem. } non  
pessime actum, dixit Sulpicius ep. 5. lib. iv. praeclare autem agi cum eo, ueteres dicebant, qui fortuna  
uteretur optima.

### Argumentum ep. 25.

**H**anc epistolam scripsit ante bellum civile. cum Ciliciam proconsul ad-  
ministraret. Iocans in eo cauillatur, quia sibi Papius praecepta de re  
militari litteris tradiderat. Commendat M. Fabium, eum, quem Coelio  
ep. 14. lib. 2. commendauit. L. Paulo, C. Marcello cos.

Cicero S. D. Papirio Paeto. 25.

**S**MMVM me ducem litterae tuae reddidere. plane  
nesciebam te tam peritum esse rei militaris. Pyrrhi  
re libros, & Cineae uideo lectitasse. itaque obtemperare  
cogito praeceptis tuis, hoc amplius, nauicularum habere  
aliquid in ora maritima. contra equitem Parthum ne-  
gant ullam armaturam meliorem inueniri posse. Sed  
quid ludimus? nescis, quo cum imperatore tibi negotium  
sit. ΚΥΣ ΠΑΥΔΕΑΥ, quam contrinueram legendo, totam  
in hoc imperio explicavi. Sed iocabimur alias coram,  
& ut spero, breui: nunc ades ad imperandum, uel ad  
parendum potius: sic enim antiqui loquebantur. Cum  
M. Fabio, quod scire te arbitror, summus mihi est usus:  
ualdeq. eum diligo cum propter summam probitatem  
eius, ac singularem modestiam, tum quod in ijs contro-  
uersijs, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis,  
optima opera eius uti soleo. is cum ad me Laodiceam  
uenisset, mecumq. eum ego esse uellem, repente percussus  
est atrocissimis litteris; in quibus scriptum erat, fundum  
Herculanensem a Q. Fabio fratre proscriptum esse, qui  
fundus cum eo communis esset. id M. Fabius pergrauiter  
tulit; existimauitque, fratrem suum, hominem non sa-  
pientem, impulsu inimicorum suorum eo progressum esse.  
nunc, si me amas, mi Paete, negotium totum suscipe, mo-  
lestia Fabium libera. auctoritate tua nobis opus est, &  
consilio, & etiam gratia. noli pati litigare fratres, & iu-  
dicijs turpibus consistari. Mathonem, & Pollionem  
inimicos habet Fabius. quid multa? non mehercule  
tam perscribere possum, quam mihi gratum feceris, si  
otiosum Fabium reddideris. id ille in te positum esse  
putat, mihiq. persuadet. Vale.

### EXPLANATIO

**S**MMVM me ducem } ironia. PYRRHI libros, & Cineae } Pyrrhus Epirotarum rex fuit,  
Cineas eius legatus. utrumque scripsisse libros de re militari, ex Plutarcho, & Aeliano perspicuum fit.  
MELIOREM } iocus. equites enim contra naues nihil possunt. ΚΥΣ ΠΑΥΔΕΑΥ, } institutionem Cyri,  
Persarum regis, quam octo libris Xenophon exposuit, non ad historiae fidem, ut ait Cicero in epistola  
ad Quintum fratrem, sed ad effigiem iusti imperij: itaque perpetuam in illo felicitatem fingit, mortemq.  
tranquillissimam, & omnis expertem doloris, ac molestiae: cum Herodotus contra, & Iustinus, interfe-  
ctum a Tomyri, Scytharum regina, cum ducentis Persarum millibus, memoriae prodiderint. Scripsit au-  
tem hos libros commotus duobus primis Platonis libris de optimo statu reip. qua de re sic Gellius lib. xiv.  
cap. 3. Xenophon in clyto illi operi Platonis, quod de optimo statu reip. ciuitatisq. administrandae, scrip-  
tum est, lectis ex eo duobus fere libris, qui primi in uulgus exierant, opposuit contra, conscripsitq. di-  
uersum regiae administrationis genus, quod ΠΑΥΔΑΧΥΣ, inscriptum est. IN HOC IMPERIO }  
in Cilicia administranda. EXPLICAVI. } reipsum exsecutus. BREVI: } non igitur eo an-  
no, quo in prouinciam iuit, idest Sulpicio & Marcello cos. hanc epistolam scripsit, sed sequenti, Paulo &  
Marcello cos. cum iam de discessu cogitaret. ADES ad imperandum, uel ad parendum potius: sic enim  
antiqui loquebantur. } scripta ueterum interiere, in quibus hic loquendi modus crebrior fuit. unius  
igitur Sallustij utemur testimonio. Iugurtha, inquit, ubi armis, uirisque, & pecunia spoliatus est, cum  
Fff ad impe-

ad imperandum Tifdrum uocaretur, rursus coepit flectere animum suum. Ad imperandum, idest ut et imperaretur, ad parendum: quod Cicero subiunxit. Hunc loquendi modum & Seruius agnouit in illo Virgilij uersu: Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. Cantando, inquit, dum incantatur. **CON-  
T R O V E R S I I S**, } disputationibus de summo bono, in quibus Academici, quorum sectam Cicero probabat, uehementer ab Epicureis dissentiebant. **T V I S**, } Epicureus igitur Paetus. **C O M B I B O N I -  
B V S**, } compotoribus. **O P T I M A . O P E R A**, } ualebat enim Fabius ingenio plurimum, & doctri-  
na. ep. 14. lib. 2. **P E R C U S S V S . E S T**, } ep. 8. ad Att. lib. xiv. Percussit animum. Terentius: Per-  
cussit illico animum. **P R O S C R I P T V M**, } ut uenderetur. **N O N . S A P I E N T E M**, } proflu-  
tum, modeste dictum. Similiter ep. 14. lib. xii. Ab hominibus non insultis. **S V O R V M**, } Mathonis,  
& Pollionis, qui nominantur infra. **M A T H O N E M**, & **P o l l i o n e m**, } Matho, Pomponiae gentis;  
Pollio, Afiniae cognomen. Pollionis epistolae tres leguntur lib. x.

## Argumentum ep. ult.

**D**escriptio, & excusatio cenae hilarioris, praesertim accumbente Cytheride meretrice. Iisdem consulibus.

Cicero S. D. Papirio Paeto. 26.

**A**CCVBVERAM hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi. dices, ubi? apud Volumnium Eutrapelum: & quidem supra me Atticus, infra Verrius, familiares tui. miraris tam exhilaratam esse seruitutem nostram? quid ergo faciam? te consulo, qui philosophum audis. angar? excruciem ne me? quid assequar? deinde, quem ad finem? uiuas, inquis, in litteris. an quidquam me aliud agere censet? haud possem uiuere, nisi in litteris uiuerem: sed est earum etiam non satietas, sed quidam modus. a quibus cum discessi, etsi minimum mihi est in cena, quod tu unum *ἔχρυμα* Dioni philosopho posuisti: tamen, quid potius faciam, prius, quam me dormitum conferam, non reperio. Audi reliqua. Infra Eutrapelum Cytheris accubuit. in eo igitur, inquis, conuiuio Cicero ille, quem ad spectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant sua? non mehercule suspicatus sum illam affore: sed tamen nec Aristippus quidem ille

Socracitus erubuit; cum esset obiectum, habere eum Laide: habeo, inquit, non habeor a Laide. Graece hoc melius, tu, si uoles, interpretabere. me uero nihil istorum ne inuenem quidem mouit unquam, ne nunc senem. conuiuio delector. ibi loquor aliquid, quod in solum, ut dicitur: & gemitum & in risus maximos transfero. an tu id melius, qui etiam in philosophum irriseris; cum ille, si quis quid quaereret, dixisset, cenam te quaerere a mane dixeris? ille Baro te putabat quaesiturum, unum caelum esset, an innumerabilia. quid ad te? at hercule cena numquid ad te tibi praesertim? Sic igitur uiuitur: quotidie aliquid legitur, aut scribitur: deinde, ne amicis nihil tribuamus, epulamur una non modo non contra legem, si ulla nunc lex est, sed etiam intra legem, & quidem aliquammodo. quare nihil est, quod aduentum nostrum extimescas. non multi tibi hospitem accipies, multi ioci. Vale.

## EXPLANATIO

**A**CCVBVERAM hora nona, } qua ueteres cenare consueuere. unde Martialis: Incipit exstructos  
frangere nona thoros. **H A R V M**, } litterarum: quas deinde, cum domum rediissem, ex codicillis  
in chartam translatas ad te mitterem. **I N c o d i c i l l i s**, } ceratis tabulis: in quibus primum esse scribi solitum,  
ostendit illud Varronis. apud Carisium, } Offe scribebant: & Titinij: Velim ego offe arare campum  
cereum: idest, ceratas codicillorum tabellas. Postea commodior styli aenei est usus inductus. Codicil-  
lorum usus antiquissimus fuit, iam ante chartam inuentam: itaque scripsit Homerus II. lib. vi. Bellerophon-  
ti in Lycia codicillos esse datos. quo argumento, nondum eo tempore inuentam esse chartam, Plinius  
lib. xiii. cap. 13. probare conatur. Codicilli autem, dicti a caudicibus, id est arborum libris: plures enim  
lignae tabellae, glutino iungebantur, item ut iunguntur hodie nostrates libri. Sed ante, quam in arbo-  
rum libris, palmarum in folijs esse scriptum, idem Plinius auctor est eodem libro, cap. xi. & haec subiun-  
git: Publica postea monumenta plumbeis uoluminibus, mox & priuata linteis confici coepta, aut ceris.  
pugillarium enim usum fuisse etiam ante Troiana tempora, inuenimus apud Homerum. Quibus uerbis  
pugillaria significat codicillos esse, idest, tabellas cera illitas, in quibus pungendo, unde pugillarium nomen,  
stylo impresso scriberetur. Verum, etsi ante chartam fuere, post eandem tamen inuentam mansere Codicil-  
cilli, commodi scilicet causa: quoniam, ubi charta, & atramentum non adesset, ut in itinere, in cena, in  
senatu, codicilli, stylo scripti, mittebantur, itaque ep. 18. lib. vi. Quaesui, inquit, e Balbo per codicil-  
los, quid esset in lege. Et Sulpicius ep. 12. lib. iv. Puer Acidini mihi obuam uenit cum codicillis. Inter-  
dum ipsi codicilli non mittebantur, sed scribatur in ijs, quod in chartam deinde translatum mitteretur.  
propterea, Harum exemplum in codicillis exaravi, ait Cicero. **E X A R A V I**, } raptim scripti. non  
enim, Exarare, ualet, simpliciter scribere: quod nonnullos opinari, eorum scripta declarant. ep. 20.  
lib. xii.

fib. XII. APVD. VOLVNNIVM} Cenare cum aliquo, & apud aliquem, hoc differunt, quod, qui cum aliquo cenat, non eius domi necessario cenat, sed interdum alibi; qui uero apud aliquem, non cum eo semper, sed interdum etiam sine eo, licet eius domi. EYTRAPELVN:} ita uocatum a festiuitate, & lepore. ep. 32. lib. VII. SVpra me Atticus, infra Verrius,} Atticus a dextra, Verrius a sinistra. Locus honoratior in lecto erat medius: quem Cicero, uir consularis, merito obtinuit; secundus, superior, Attici; tertius, inferior, Verrij. propterea super Germanicum Piso discubuit, ut lib. III. scripsit Tacitus: & Didoni reginae medium locum Virgilius assignauit, Aeneae superiorem, Achatii, uel Ilioneo inferiorem:

Cum uenit, aulaeis iam se regina superbis

Aurea composuit sponda, mediamq. locauit.

Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto,

de superiore autem Aeneae loco:

Et Plautus in Most. Non omnes possunt

olere unguenta exotica, Sicut tu soles, neque superior accumbere. Et in Stic. Haud postulo equidem summo in lecto accumbere. Et in Per. Accumbe in summo. Quartus locus, imus dicebatur: de quo Horatius, Securis omnibus imis, in eo Volumnium ipsum, conuiuij dominum, cum Cytheride accubuisse arbitror, non in lecto separato, & proprio. Sciendum, quod Plutarchus ἐν τῇ συμποσιακῶν α scriptum reliquit, consulem non medio loco, qui ceteris ciuibus, ubi quis dignitate praestaret, assignabatur, sed ultimo medij lecti solitum accumbere, non modo propter eam causam, ne reges uideretur imitari, quorum actiones omnes, ac mores libera ciuitas oderat, sed ut audire, imperare, subscribere, scribam, ministrum, custodem corporis, nuncium ab exercitu uenientem admittere, colloqui, interrogare, neque suo, neque cuiusquam conuiuiae impedimento, posset. secundus enim lectus primo a superiore parte cohaerebat, ab inferiore autem, ubi consul accumbebat, modico intervallo seiunctus erat a tertio, ut ad ea, quae dixi, peragenda uacuum locum haberet consul. Hunc morem, Plutarchi testimonio, ostendendum existimauimus, ne quis crederet, ut medium locum medij lecti (tres enim in triclinio lecti erant) semper honoratior reliquis fuisse; quod haec maxime Ciceronis epistola declarat; aut ultimum eiusdem lecti locum; quod Plutarchus docet. distinctio enim diuersam Ciceronis & Plutarchi doctrinam conciliat: ut medius quidem locus tertij lecti, si priuati ciues accumberent, esset reliquis honoratior; sin consul adesset, ultimus. Verrium esse illum opinor, quem Varro iuris pontificij peritissimum scripsit fuisse, patronum eius Verrij, quem Festus mutilauit. SERVITVTĒM nostram?} sic ueteres aliquot libri, non, Seueritatem: idq. puto recte. seruitus enim per se tristis: re autem nulla magis, quam conuiuio, exhilaratur. PHILOSOPHYM} Dionem, cuius consuetudine Paetus utebatur. infra. HAUD possem uiuere,} sic libri quatuor antiqui: reliqui omnes, Aut. utroque modo recte. quamquam, Haud, &, Aut, possunt idem esse: cum ueteres quandoque, Aut pro Haud scripserint. ET SI minimum nabi est in cena,} etsi minime cenam curo. Fortasse locus est ex ambiguo quaesitus. potest enim & hoc dici, Minimi cenam facio: & hoc, Minimum est quod cenem. ideo sequitur, Quod tu unum γήρυμα, Dioni philosopho posuisti: quia Paetus id fortasse quaesierat a philosopho, quantum illi esset in cena; eodem ambiguo supra dicto. QUID potius faciam,} quam ut cum amicis cenem. CYTHERIS} Volumnij liberta, & amica. quam postea dilexit Cornelius Gallus poeta, & post eum M. Antonius: de quo Virgilius, Tua, Galle, Lychoris Perq. niues alium, perq. horrida castra secuta est. Lychoris enim a Virgilio, ficto nomine, uocatur. & in eo loco, tres fuisse nobiles meretrices, eademq. mimas, ait Seruius, Cytheridem, Originem, Arbusculam. Cytheridem nominat etiam Cicero in ep. 8. lib. x. ad Att. & in Phil. 2. Plinius lib. IIX. cap. 16. Plutarchus in Antonio. Eadem honestiore nomine, Phil. 2. Volumnia dicta, quod Volumnij liberta. Originem Horatius appellat:

Vt quondam Marficus amator Originis ille,

Qui patrium mimae donat fundumq. laremq.

De Arbuscula idem:

— Satis est, equitem mihi plaudere: ut audax,

Contemptis alijs, explosa Arbuscula dixit:

Et Cicero ep. 15. ad Att. lib. IV. Quae ris nunc de Arbuscula: ualde placuit. ACCVBVIT.} quia meretrix: nam, ut dixi, honestae sedebant. QVEM adspectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant sua?} opinor, Ennij uersum esse ex Tragoedia Telamone, quam Festus, Nonius, & Diomedes nominant. integra sententia cognoscitur apud Ciceronem Tusc. III. nam in Telamone, patria pulso, exulante, atque egente, hanc admirationem ait esse factam:

Hicce Telamon ille est, modo quem gloria ad caelum extulit,

Quem adspectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant sua?

Trochaici catalectici

sunt. Ob os, pro, Ad os, ait Festus. Cicero pro Postumo: Ob oculos mihi saepe mors uersata est. Plautus in Mil. Exporior ob os caliginem prius mihi obtigisse. NEC Aristippus quidem ille Socraticus nō erubuit,} sic tres ueteres libri: octo autē, Aristippus quidē ille Socraticus nō erubuit. utroque modo recte. nā, quod alij, Germanos secuti, maluerunt, Ne Aristippus quidē ille Socraticus erubuit: discedunt ab antiquis libris: in quibus, Ne, nō reperitur. Quod autē, nullos ueteres libros habere, Non erubuit, idē dicunt: mirari nō satis possum; cum in octo, ut iam diximus, ita legatur. LAIDA:} scortum nobile, paucorum hominū, magno pretio consuetudinem illius ementium. uide Gellium lib. I. cap. 8. Lactantium lib. III. cap. 15. Laertiū in Aristippi uita, Athenacum lib. XII. & XIII. Clementem Alex. Strom. 2. GRAECE hoc melius.} Aristippi Graeca uerba sunt, Ἐχω, καὶ δὲ ἔχομαι: quae recitat Athenaeus: uel, ut ait Clemens, Ἐχω λαίδα, καὶ ἐχομαι ἐν αὐτῆς. quod Ciceroni Graece melius uidetur, quam Latine, non quia Graece dicatur

Fff 2 breuius:

breuius: aequae enim breuiter Latine dicitur: sed quia uerbum *Εχω* quiddam amplius, quam, *Habeo*, significat. est enim tangere, & haerere: quod referri ad concubitum potest. ideo subiunxit Cicero: Tu, si uoles, interpretabere: cum uitaret ipse obscenitatem sententiae, uel etiam Latine eam exprimere cum non posset: quod fatetur aperte, cum ait: Graece hoc melius. *NE . NVNC senem.* } Sic locutus est Liuius lib. III. Nonam, inquit, inexpertamq. eam potestatem eripere patribus nostris: ne nunc, dulcedine semel capti, desiderium ferant. Hunc Ciceronis locum unico adhuc Liuij exemplo, cum Latinorum scripta non omnino negligenter euoluerim, confirmare mihi licuit. Differt autem, Ne nunc, a Nedum: quia, Nedum ad omnia tempora, Ne nunc ad praesens tantum accommodatur: & ualeat, Nedum nunc. *I BI loquor, quod in solum, ut dicitur.* } Hoc prouerbium, Quod in solum uenit, uel, Quodcumque in solum uenit, quidlibet significat, & quidquid occurrit, quidquid casus fert: non pro ratione, aut pro recta uoluntate, sed temere, casu, fortuito, ductum fortasse a frugibus, quae sementi non respondent, sed enascuntur inutili a quaedam interdum, atque in solum ueniunt, praeter expectationem agricolae. hinc illud lib. I. de nat. de. Abuteris ad omnia atomorum regno, & licentia: hinc, quodcumque in solum uenit, ut dicitur, effingis, atque efficis. Pro. temere, & arbitrato plane tuo effingis, atque efficis, omnia. Verum aliquanto magis uim ac sententiam huius prouerbij declarat, &, ut arbitror, comprobatur opinionem nostram Varro apud Nonium, in Satyra, *Vac uictis, πει, φιλωνειδης*: in qua scripsit haec: Libet, me epigrammata facere. &, quoniam omnia non memini; quod in solum mihi uenerit, ponam. Reperiuntur & alia duo apud Nonium exempla, sed ab ipso sic obscurata, ut ea nemo adhuc potuerit agnoscere. nam, quod erat, In solum uenit, In solum, unico uerbo, fecit. & interpretatus est, In solitum: cum uerbum, Venit, ueteris eum prouerbij admonere debuerit. exempla uideamus. Afranius Crimine: Orbitatem senectuti tuae malam metui: Quod in solum non uenit caeco, atque dementi: Id est: quod temere non accidit homini caeco, ac dementi. Idem Virgine: Ne ueniret, quod nunc agitur, in solum. Sic enim interpungo, non, ut Iunius emendator, Agitur in solum. est autem sententia: ne temere succederet id, quod nunc agitur. *ET . GEMITVM & in risus maximos transfero.* } sic plerique ueteres libri, nec male: ut alterum, Et, ualeat Etiam: & hoc dicatur: a maestitia, & genitu uel maximos ad risus me conuerto. Omnino planius esset, quod in duobus legitur antiquis libris, Et genitum etiam in risus maximos transfero. *AN . TV id melius,* } noli me reprehendere, quasi tu melius agas: cum a risu, & iucunditate ita non abhorreas ut etiam in philosophum irriferis. *IN philosophum* } sic libri aliquot ueteres: plerique, In, non habent. *SI . QVIS quid quaereret,* } ex instituto Gorgiae Leontini, qui primus est ausus in conuentu poscere quaestionem, id est iubere dicere, qua de re quis uellet audire. lib. 2. de Fin. in principio. *A MANE* } quae a mane inciperet, id est longissimam: cui ceterae nona hora incipere solent: ut uel haec ipsa declarat epistola primis uerbis, Accubueram hora nona. *BARO* } octo libri scripti, Vero: unus, Baro: alius, Non. placet, Baro, pro, fatuus. ep. XI. ad Att. lib. v. Apud Patronem, & reliquos Barones te in maxima gratia posui. Non displicet tamen eruditissimi uiri, Hadriani Turnebi opinio, qui legendum, Varro, existimat: ut sit nomen contumeliosum. atque ille suam sententiam confirmat Lucilij uersu, quem recitat Festus:

Varronum, ac rupicum squarrosa incondita rostra. quo in uersu, Varronum, probri causa dictum uidetur. Ego autem locum addo ex epistola D. Bruti, quo clarius aliquanto ueritas illucescat: Si thesauros, inquit, uarronis haberem, sustinere sumptum non possem. Varronem appellat M. Antonium, qui thesauros Caesaris, ad Opis depositos, post eius necem abstulerat. Patet igitur contumeliae uocabulum esse. & uetus liber meus in epistola illa ad Atticum, cuius testimonio sum usus, habet, Varrones, & geminata. Nec moueor, quod in quibusdam libris hoc nomen a littera, B, non ab, V, incipiat. nam, ueteres & B pro V, & uicissim V pro B scripsisse, testimonio sunt antiqua monumenta. *AN innumerabilia.* } ex Democriti, & Epicuri sententia: ut in Acad. de Fin. de nat. de. Caeli tamen dicitur numero multitudinis, non Caela: sed hic Innumerabilia, respicit illud, Vnum caelum. *CENA* } quam dixisti te a mane quaerere. *NVM QUID ad te?* } iocus: quasi dicat: cena uero illa multo magis ad te pertinet, quam id, quod philosophus ille te putabat esse quaesitum, num unum caelum sit, an innumerabilia. *TIBI praesertim?* } Tibi, non, Ibi, lego cum omnibus antiquis libris, duobus exceptis, quorum in altero est, Mihi in altero, Ad te: mendose, nisi fallor, in utroque. Tibi praesertim, hoc significat: Cena ad te ualde pertinet tibi praesertim, quae daretur: quam te quaerere a mane dixisti. *CONTRA legem,* } sumptuariam Caesaris. ep. 15. aut ueterem legem, a Caesare correctam. uide quae diximus ep. 26. lib. VII. *INTRA legem,* } intra fines lege praescriptos, minore etiam sumptu, quam qui lege definitus est. *ALIQUANTO.* } non parum. *NON multi cibi?* } Minime edacem, dixit ep. 23.



IN . EPISTOLARVM

M . TVLLII . CICERONIS

QVAE

FAMILIARES

VOCANTVR

LIBRVM . DECIMVM

AD . PLANCVM . ET . ALIOS

PAVLLI . MANVTII

COMMENTARIVS



Argumentum ep. I. lib. X.



INVEHITVR in Antonij immoderatam potentiam: Plancum, transalpinam Galliam administrantem, hortatur, ut in reip. omni cogitatione, studioq. incumbat: agit gratias de Furnio honorifice tractato. Antonio, & Dolabella cos.

Cicero S. D. L. Munatio Planco, imp. cos. des. I.



TABEVI, proficiens in Graeciam: & postea quam de medio cursu reip. sum uoce reuocatus, numquam per M. Antonium quietus fui: cuius tanta est non insolentia, (nam id quidem uulgare uirtutum est) sed immanitas, non modo ut uocem, sed ne uultum quidem liberum possit ferre cuiusquam. itaque mihi maximae curae est, non de mea quidem uita, cui satis feci uel aetate, uel factis, uel, si quid etiam hoc ad rem pertinet, gloria: sed me patria sollicitat, in primisq. mi Plance exspectatio consulatus tui: quae ita longa est, ut optandum sit, ut possimus ad id tempus reip. spiritum ducere. quae potest enim si es esse, in ea

rep. in qua hominis impotentissimi, atque intemperantissimi armis oppressa sunt omnia: & in qua nec senatus, nec populus uim habet ullam? nec leges ullae sunt, nec iudicia, nec omnino simulacrum aliquod, aut uestigium ciuitatis? Sed, quando acta omnia mihi ad te arbitrabar; nihil erat, quod singulis de rebus scriberem. Illud autem erat amoris mei, quem a tua pueritia susceptum non seruari solum, sed etiam auxiliari, monere te, atque hortari, ut in reip. omni cogitatione, curaq. incumberes, quae si ad tuum tempus perducitur, facilis gubernatio est: ut perducatur autem, magnae tum diligentiae est, tum etiam fortunae. sed & te aliquanto ante, ut spero, habebimus: & praeterquam quod reip. consulere debemus, tamen tuae dignitati ita fauemus, ut omne nostrum consilium,

